


TRACTATUS JURIDICUS

De

INQVISITIONIS PROCESSU,

In gratiam illorum, qvi Causas Criminanales tractant olim conscriptus,

Jam qvinta vice in lucem editus, emendatus & plurimum auctus

à

JOHANNE BRUNNEMANNO, J.U.D.
SERENISSIMI ELECTORIS BRANDENBURGICI Consiliario, Decretalium in Academia Francofurtana Professore & Facultatis Juridicæ Ordinario ac Seniore.

Cum Privilegio speciali Sereniss. & Potentiss.
ELECTORIS BRANDENBURGICI.

Wittebergæ,
Sumptibus Hæred. JOBI WILHELMI FINCELII,
Typis CHRISTOPHORI GÜNTHERI, Typograph. Lipsiens.
ANNO M DC LXXIX.



DUm tertia vice præſentem de Inqviſitione & ſecunda vice de Proceſſu Civili Tractatum prælo ſubmittebam, gliſcebat undiq; publicatum ſimulatū fomes, opinione omnium in maximas bellorū flammas propediem erupturus; Sed ubi ad finem perductum Opuſculum, en bellam Belli Metamorphoſin! Prælio jamjam committendi erant exercitus, ac Marte arbitro, qvod arte non poterat, decidendum. Sed inſperatò rei facies mutabatur. Conſilio & prudentia, qvę flagrabant, componebantur lites, claſſicum primo, mox receptui canente Marte, ac ita exoptatâ omnibus nobis PACE reſtituta.

Sed id Tua, POTENTISSIME ELECTOR poſt DEUM Opt. Max. unicè effecit ſollicitudo. Invictum hactenus Univerſo Orbi, tot bellis implicitus, TE compro-

probaſti; jam & HEROIS verè PACIFICI nomen mereris, cum Hannibale fortiſſimo, meliorem tutioremqve eſſe certam pacem, qvam ſperatam victoriam, ratus. Factum certè Heroicum, tanto Principe dignum, & in omne Ævum deprædicandum.

Nec tamen à Sereniſſima DOMO BRANDENB. idem alienum, qvippe pari auctoritate JOHANNES MAGNUS TRITAVI *Serenitatis Tuæ* JOACHIMI PRIMI PATER, ELECTOR Glorioſæ recordationis CICERO GERMANICUS communiter dictus, Achillis Germanici ALBERTI ELECTORIS Filius, belli flam̃am inter tres potentiſſimos CASIMIRUM, Poloniæ, ULADISLAUM, Bohemiæ, & MATTHIAM Hungariæ Reges de Vratislaviæ dominio ortam, delevit, ac ad Pacis fœdera redegit. Idem, imò majora SERENISS. ELECTOR præſtitiſti, potentiſſimos noſtri Seculi Principes at-

 qve

qve ita Imperium Rom. universum paci pristinæ restituendo. Hinc illos ad gratias multas, subditos vero Tuos ad ulteriora obseqvia Tibi arctissimè obstrinxisti. Qvapropter mearum qvoqve partium esse duxi gratitudinem ex subjectissimo animo oriundam, publico hoc testimonio contestari.

Suscipe ergo POTENTISSIME PRINCEPS, præsentes chartas, & qvas jam ante novendecim annos AUGUSTO TUO NOMINI consecraveram, nunc cum augmento iteratas clementissimo vultu intuere.

DEUM T.O.M. supplex venerabor, ut SERENITATEM TUAM ad pacem conservandam, & justitiam propagandam, diutissimè sospitet, conservet, ac ex voto cum SERENISSIMA Familia vivere sinat & imperare.

SERENITATIS TUÆ

D. Francof. ad Viadr. d. 20. April. A. O. R. 1666.

Subjectissimus
Devotissimus
Johannes Brunneman D.

Dedi-

Dedicatio primæ Editionis
ad eundem

SERENISSIMUM ac POTENTISSIMUM PRINCIPEM ac DOMINUM, DOMINUM

FRIDERICUM VVILHELMUM,

Marchionem Brandenburgenſem & Electorem, &c. &c. &c.

MAgnæ laudi hoc Germanis datum eſt, Sereniſſime ac Potentiſſime Elector, Domine Clementiſſime, qvod homo Italus Machiavellus *lib. 1. diſput. cap. 55.* de corruptis Italorum, Hiſpanorum, Gallorum aliorumqve moribus conqveſtus, in Germania fatetur ſupereſſe Romanam illam morum integritatem & Numinis Reverentiã. Hoc Machiavelli de Germanis Teſtimonium utinam perennaſſet, meliori certè loco res noſtræ forent, nec peregrinis præda eſſemus. Sed decoximus, proh dolor! jamdiu hanc Gloriam. Jamdiu cum peregrinis Lingvis, veſtibus & geſtibus, peregrini etiam mores, vitia & ſcelera ſunt invecta. Jamdiu Reverentia Numinis à plerisqve excuſſa; qvæ vitia internecino hoc bello, & tot aliis concatenatis calamitatibus nos luere (utinam eluere) oportuit, digno ſceleribus ſupplicio. Cauſam corruptorum morum ſi qværamus, vix magis idoneam reperiemus, qvam neglectum Diſciplinæ.

Qvemadmodum enim in corporibus humanis nunqvam talis eſt humorum harmonia, ut non qvotidiè colligatur aliqvid pravi humoris, qvod ſtatis temporibus medicamentis expurgandum: ita in Republ. qvotidiè aggregatur aliqvid qvod curatione indiget. Idqve per ſolam fit Diſciplinam. Si

 omnes

omnes ſtatus perluſtremus, fateri cogimur, collapſam eſſe diſciplinam, & ſucceſſiſſe fœdam peccandi licentiam.

In Hierarchia vix veſtigium aliqvod diſciplinæ Eccleſiaſticæ veteris remanſit, adeò ut qvantum Doctrinæ puritate alios ſuperamus, tantum ob diſciplinæ neglectum ab heterodoxis vincamur; Qvo fit, ut qvantum reformatione Doctrinæ recuperavimus, tantum fere impietate vitæ amiſerimus. Cui malo, niſi reſtitutâ Eccleſiæ atqve Eccleſiaſticis perſonis authoritate & poteſtate cum conſenſu Eccleſiæ coërcendi ſcandala occurratur, vix ulla perennaturam Pacem in Eccleſia vel Republ. ſperari poſſe exiſtimo. In Scholis & Academiis præſertim qvanta ſit peccandi licentia, neminem fugit, adeò ut planè in ea ſim opinione, niſi Principes conjunctis viribus Barbariem & immaniem illam licentiam ex Academiis ſint proſcripturi, Academias tandem ad nihilum redactum iri. Qvid juvat enim literas diſcere, & moribus corruptis ſimul imbui? In Republica viget adhuc aliqva Diſciplina, ſine qva nulla civilis ſocietas conſiſtere poſſet. Videmus enim in ſcelera inqviri, eorumqve reos inventos merito affici ſupplicio, vel alias condignas luere pœnas. Sed & hic multis modis impingi negari neqvit. Super qvibusdam enim delictis rarò inqviritur. Nam ut exemplis id declarem, Blaſphemia, profanatio bonorum Eccleſiaſticorum, Perjurium, Violatio Sabbati, injuriæ reales Parentibus illatæ, Monomachia, ſtuprum ſimplex, uſuraria pravitas & ſimilia rarò in Inqviſitionem veniunt. Verendum, ne etiam atrociora crimina v.g. Infanticidium, Veneficium & alia impunita ſæpè relinqvantur. Qvamvis autem in delicta multa Magiſtratus inqvirant, verendum tamen eſt, ne & hodiè in pœnis perſonarum habeatur reſpectus; & ii, qvi in dignitate conſtituti ſunt, leviter puniantur, vel impuniti dimittantur, meritisqve perſonarum excuſentur; in alios autem inferioris dignationis homines legum aſperitas exerceatur, juxta illud Juvenalis:

Dat

Dat veniam corvis, vexat censura columbas.

An hoc hodiernis adhuc fit temporibus? Eqvidem certo non affirmo: in ea tamen sum sententia, non deberi cujusqvam facinora benefactis & meritis compensari, sed meritis præmia seorsim constituta esse, & sceleribus itidem pœnas. Nam si hæc commisceantur, de Republ. benè meriti facilè ad audaciam & insolentiam prorumpent. Sic Manlius Capitolinus, qvamvis conservator Capitolii, ob delictum tamen de Capitolio in præceps dejectus fuit. Sic etiam Horatius ob Parricidium ad judicium rectè raptus, malè fuit absolutus. Et hæc ipsa, ni fallor, fuit mens Johannis Samoscii, Magni illius Poloniæ Cancellarii, viri Pacis belliqve artibus præpollentis, qvi ab illustrioribus personis pœnas sumendas esse dicebat. Qvô enim illustriores essent personæ, eò illustriora esse illorum peccata, & eò illustriores pœnas esse ad alios deterrendos. *Thuan. l. 73.* Et Nicolaus Papa *in can. 3. caus. 11. qv. 3.* Deterius, inqvit, in populis Prælati delinqvunt, ac per hoc ipsi crudelius, qvam cœteri puniuntur, ut ait B. Gregorius &c.

Non desunt exempla eorum, qvi nec propriis liberis pepercerunt, in sumenda de sceleribus ultione. Vetera taceo. Unum recenseo memoratu dignissimum & recentius de Cosmo Magno Hetruriæ Duce: cui inter alios liberos erant duo filii, qvorum minimus natu Garsias Johannem fratrem jam tum Cardinalem vix 16. ætatis annum supergressum ex puerili æmulatione atroci odio diu nutrito inter venandum, cum seorsim à sociis per devia alter in alterum incurrissent, acinace cominus transverberaverat. Cadavere inter vepreta invento reqve ad Cosmum Parentem delatâ, is suspicatus, qvod erat, cadaver multa nocte in urbem inferri & in conclavi ædibus suis proximo collocari jubet, tum semotis Arbitris ad conclave venit, & sevocatum Garsiam, ac de fratre interrogatum, cum factum ille pernegaret, ad cadaver accedere jubet, eoqve renudato, & cruore ad percussoris conspectum mox ebullien-

 te, En,

te, En, inqvit, sangvis fratris tui, qvi ultionem à DEO atqve etiam à me deposcit; Me miserum, qvi tales filios genuerim, aut iis superstes fuerim, qvorum unum immani parricidio necatum hisce oculis aspicere cogor; alterum, ni impius & iniqvus juris inter meos dispensator sim, è medio tollere, ipsa pietate suggerente compellor! Scelus est Patri filium interficere, sed maj9 scelus admittam, si eum vivere diutius patiar, qvi per fratris perniciem ad patris necem & familiam totam cæde ac ferro evertendam gradum fecit. Tum fatente crimen Garsiâ, & rixæ principiũ dedisse Johannem affirmante, ita ut nisi peste fratris salutem propriam expedire non licuerit, Cosmus, qvi mite Johannis ingenium nosset, pugionem qvo ille fratrem confoderat, & adhuc cinctus eò venerat, supplici eripit, nudumq; stringens, hodie, inqvit, pestem domesticam, ne latiùs exemplô serpat è visceribus meis avellere decrevi, & qvanqvam dnlcissimi filii cædem, non nisi alterius filii moribus disparis cæde expiari possim, malo me posteritas infelicem ac durum Patrem prædicet, qvam imprudentiæ & iniqvitatis arguat. Tu verò gaude, qvòd vitam, qva indignus es, cum amittere debeas in Patris manibus, à qvo eam accepisti, depositurus sis, Qvo dicto Deum comprecatus, ut factum comprobaret, & sonti filio gratiam delicti faceret, eum eodem pugione, qvo fratrem confecerat, juxta Johannis cadaver interfecit, qvam calamitatem silentio sopiri voluit prudentissimus Princeps, fama sparsa ex populari morbo alterum post alterum extinctos, ut hæc refert Jac. Aug. Thuanus *lib. 32. histor.*

Ideoqve Gregorius Magnus *in can. sicut inqvit 46. caus. 2. qvæst. 7.* Episcopos admonet his verbis: Admonemus autem, ut non cujusqvam personæ gratia, non favor, non qvodlibet blandimenttm, qvenqvam vestrum, vel ad discutiendum, qvæ nobis nunciata sunt, molliat, vel à veritate excutiat: sed sacerdotaliter ad investigandam vos propter Deum veritatem accingite.

Maximè verò omnium in forma inqvisitionis multis modis

dis peccari Experientia rerum Magiſtra edocet. Cujus cauſſam eſſe exiſtimo, qvod nobiliſſimum Imperium merum hodie per plebejos homines jurisqve planè imperitos non rarò exerceatur, contra Imperatoris Caroli V. conſtitutionem *artic.1.* ubi iis Magiſtratibus, qvi imperitorum hominum operâ utuntur, pœnam comminatur. Hinc factum, ut abſurdiſſimæ Conſvetudines paſſim in judiciis criminalibus fuerint introductæ, qvas tamen Imperator laudatiſſimus *dictâ Ordinat. artic.pen.* ſeveriſſimè prohibet & abrogat. Et ſane negari neqvit, de viliſſimo ſtillicidio accuratiorem inſtitui ſæpius cauſæ cognitionem in judiciis, qvam de cauſis capitalibus.

Huic malo, ut qvantum in me eſt, medelam præſertim in Patria noſtra adferrem, brevem hanc de Inqviſitione commentationem, æſtivo ſemeſtri proximo inter alia negotia Academica & Facultatis horis ſubciſivis concinnatam, publici juris facere volui. Moneo autem omnes judices & Notarios, aliosqve, qvi criminalia tractant negotia, ut hanc Synopſin, in qvâ ſumma brevitate uſus, eo laboravi, ne prolixitate lector deterreretur, lectione ſua dignari haut pigrentur, præcepta ea, ſi occaſio ferat, ad uſum transferant, præſertim verò in iis, qvæ de examine Rei dicta ſunt, ea moderatione utantur, ut inter perſonas Reorum diſtingvant, nec ſimpliciores confundant, aut captioſis interrogationibus irretiant. Nec enim eadem ratione examinandi ſunt ſimpliciores, qva examinantur illi, qvi callidi ſunt, omniaqve negant, circumſtantias veras ſupprimunt, falſas verò comminiſcuntur. Ideoqve Judici ineſſe debet Prudentia, Miſericordia & piè ſæviens Diſciplina: miſcere debet oleum cum vino, lenitatem cum ſeveritate. Sit apud ipſum amor, ſed non emolliens: ſit rigor, ſed non exaſperans: ſit Zelus, ſed non immoderatè ſæviens: ſit Pietas, ſed non plusqvam expedit parcens, ut judicem Eccleſiaſticum inſtruit Gregorius *in can.Diſciplina 9. diſt.45.*

Veſtræ verò Sereniſſimæ Celſitudini hos meos labores

cur

cur offeram, causis adducor qvàm plurimis; inter qvas non postrema est, qvod à Serenissimæ Celsitudinis vestræ Parente, Domino meo clementissimo, in numerum Professorum fuerim cooptatus, qvod grato animo si non agnoscerem, nec Serenissimæ Celsitudini vestræ (cum Serenissimo Domino Parenti nunc inter beatorum choros triumphanti non possim) gratum animum publicè declararem, Ingratitudinis notam me incursurum metuebam. Accedit altera ratio, qvod qvamvis exilis liber, argumenti tamen dignitate tanto principi apprimè conveniat, cui potestatem Deus in tot populos & gladium pro Justitiæ tutela, & ad vindicanda scelera concessit, sub cujus umbra & tutela hactenus inter dira bellorum tonitrua nobis aliqvot annos mediocri pace frui licuit. DEUS ter opt. Max. perennare faciat tranqvillitatem, & recisis bellorum fibris Pacem auream adamantinis vinculis adstringat, taliaqve consilia suggerat, ut Disciplina Ecclesiastica, Scholastica & Politica nimis luxata in omnibus statibus restabiliatur, qvo prosperitas ubiqve perspiciatur!

Accipiat ergò Sereniss. Celsitudo vestra serena fronte munusculum hoc literarium, tanqvam ab animo Serenissimæ Celsitudinis Vestræ devotissimo protectum, meqve Electorali sua Gratia complecti non dedignetur. Dabam Francofurti die 5. Novembr. Anno post partum Virgineum M DC XLVII.

SERENISS. CELSITUD. VESTRÆ

Obseqventissimus addictissimus

Johannes Brunnemannus, D.

Beni-

Benivolo Lectori salutem!

QVæ mea in edendo processu criminali inqvisitorio fuerit intentio, in frontispicio istius Tractatus declaravi. Observaveram scilicet summam tractantium caussas criminales ignorantiam & negligentiam, ideoq; præcepta qvædam ex Doctorum tractatibus hinc inde collecta in Compendium redegi, ut inservirem illis judicibus & Notariis, qvorum cura circa criminalia occupata esse debet. Etiam mirari solebam, qvod tam multæ & prolixæ præceptiones de Processibus Civilibus maxima ex parte pecuniariam rem concernentibus, ferè in omnibus Provinciis reperiantur, raræ verò de iis rebus, qvæ vitam famamq; hominis attinent. Et licet alicubi Constitutiones inveniantur etiam de processu inqvisitorio, tam eæ tamen sunt breves, ut satis se ex iis informare Judices vix possint, scilicet qvo gravius negotium, eò magis perlusoriè & superficialiter tractari solet.

Postea cum in Germania ubiqve locorum caleret negotium, qvomodo recuperata pace cursus justitiæ reformari & abbreviari possit, de qvo etiam in Patria deliberabatur, & mea qvoq; opera ad opus tam necessarium reqvireretur, publici Juris feci processum civilem, in qvo ex Recessu Comitiorum Imperii de anno 1654. excerpsi & aliunde collegi media abbreviandarum litium. Cumqve id qvale qvale opusculum non displiceret legentibus, factum, ut nullum amplius reperiri potuerit exemplar, qvamvis Juris studiosi sæpè id reqvirerent. Ideoq; processum Criminalem tertia, Civilem verò secunda vice publicæ luci exponere coactus fui.

Et in criminali inqvisitorio processu duo potissimum addidi. Nam dubitabatur sæpè, an judex de omni crimine inqvirere possit, qvod nullibi certa lege ac Regula definitum vidi. Qvippe dubitatur de perjuriis, de dolo in contractibus commisso, an illa vindicare Judex ex officio possit, de qvibusdam non

dubitatur, sed tamen raro exercetur officium Judicis. Ego sic puto, Judicem nullum delictum dolosum, qvod scandalum præbere possit & exemplum, debere inultum relinqvere.

Nam Leges nostræ Justinianææ & Recessus Imperii varia delicta probibuerunt, non tantum graviora illa, sed & minora, & extraordinaria, & ideo tractata ut vitentur, aut si contra fiat, puniantur. Licet nulla sit addita pœna expressa, qvia eo casu ex Scito Dd. extraordinaria pœna locum habebit; sed qvomodo hoc fiet sine accusatione aut inqvisitione? Impunitas etiam minorum delictorum paulatim pessundat disciplinam, omnemq; Rempublicam. Memini insignem peritia belli Heroëm dicere, sibi displicere valdè regimen Academicum, qvod in Academiis tantum graviora scelera plecti soleant, minora verò ferantur, sibi aliam esse regendi methodum, se ob minima etiam delicta pœnas competentes exigere à militibus, ita fieri, ut milites sibi subjecti majora non audeant patrare, cum nec minima sciant fore impunita. Certè ita est, nemo repente fit malus, sed minora scelera sunt qvasi gradus ad majora, sæpe etiam in majora ut causa in causatum influunt. Brevibus ideo in nova editione ostendi, non debere Judicem in inqvirendo discrimen facere inter majora & minora delicta.

Deinde observavi infinitas ferè bodiè excogitatas limitationes & exceptiones pœnarum ordinariarum, præsertim in duobus criminibus, homicidio videlicet & adulterio, secundum Jus Divinum, mortis pœna luendis (qvæ nisi infligatur, Gloriosissimus DEUS, terram pollui, sonora voce pronunciat.) Ut si numerum exceptionum inire velimus, plures essent exceptiones, qvam exempla regulæ. Qvotusqvisq; homicida reperietur, qvi non possit allegare ebrietatem vel injuriam, vel iram justam, vel offensionem, vel qvod non sit sectum cadaver, & multas alias prætendere, & ita pœnam ordinariam effugere? Procul dubio inter homicidas (latrones excipio) ita vix decimus erit, qvi pœnam capitalem mereatur. Itanè DEUM placabimus?

Itanè

Itanè calamitatum finem expectabimus? Volui igitur tantum notare hæc, si fortè Viri magis idonei hanc rem uberius pertractare vellent. Certè non est pietatis opus, homicidam à pœna capitali liberare, sed est maxima multisq; nociva immisericordia, & quasi patriæ proditio; Fiat justitia & conservetur Religio & Patria & Conscientia. Breviter, Justitia cuilibet suum tribuens & summum omnium Rerumpublicarum INTERESSE VERUM & OPTIMA STATUS RATIO, quâ neglectâ ruere oportet Imperia; ea verò florente vigebunt, quod sacra & prophana docet Historia. Omnia Lector in optimam interpretabitur partem, nullius famæ volui quid detrahere, sed quid juris scientia & conscientia dictavisse mihi visa, edisserui sine stimulo, ut existimo, vel certe sine proposito lædendi aliquem:

Vale!



INDEX CAPITUM.





CUM DEO.
TRACTATUS
De
INQVISITIONE SEU PROCESSU INFORMATIVO.

CAPUT I.
De
DEFINITIONE INQVISITIONIS.

SUMMARIA.

1. *Qvot modis procedatur in criminalibus? n.2.*
2. *Qvid sit inqvisitio? n.2.*
3. *An inqvisitio sit licita jure divino? A.n.5. & 4.*
4. *An Jure Canonico? A.n.5.*
5. *An Jure Civili? A. n. 6. & 7.*
6. *An jure novissimo imperii Romano-Germanici? A.n.8.*
7. *An jure consvetudinario? A.n.9.*
8. *An teneatur judex inqvirere? A. num. 10. 11. 12. 13. & 14.*
9. *An inqvisitio cum accusatione concurrere possit? A. n.15.16.17. & 18.*
10. *An judex inqvisiturus teneatur offensum vel ejus cognatos*

gnatos interrogare, an velint accusare? N. n. 19.

11. *An inqvisitio accusatorem supervenientem repellat? A. n. 20.*

12. *An processus ordinarius per accusationem transeat interdum in processum inqvisitionis? A. n. 21.*

1 DUobus modis in criminalibus negotiis proceditur, primò per accusationem, 2. per inqvisitionem, *Clarus lib. 5. sentent. §. fin. qvæst. 3. n. 1.*

2 Est autem inqvisitio informatio judicis super delicto, facta officio & authoritate judicis, post alios *Farinacius lib. 1. tit. 1. qvæst. 1. num. 3.* seu ut *Dom. Carpzov. part. 3. Pract. Crimin. qvæst. 107. n. 5.* Est Legitima judicis ex officio procedentis super delicto informatio.

3 Sed hic statim qværitur, an inqvisitionis processus sit in jure licitus? Et qvidem eum omni jure licitum non tantùm, sed & mandatum & Magistratui injunctum eum esse, probatur 1. ex Jure Divino *Deut. 13. v. 12. si audieris de aliqva civitatum tuarum &c. ubi inqvisiveris & pervestigaveris ac percunctatus fueris bene, si ecce vera certaqve erit res illa, si commissa fuerit abominatio in medio tui, omninò percutito habitatores &c. & Deut. 17. vers. 4. Renunciatumqve fuerit tibi atqve audiveris, qvum inqvisiveris benè, si ecce vera certaqve illa res erit, si commissa fuerit &c.*

4 Qvibus textibus non tantum in Apostasiam, sed & in omnem transgressionem fœderis inqvirere jubetur populus, & potissimum Magistratus, id qvod exemplo comprobavit Jehoschua, Dux populi Israelitici in sacrilegio ab Hacane commisso, qvi processus inqvisitionis, licet qvoad modum procedendi singularis, describitur *in libro Josuæ cap. 7.* Nam variæ in Lege Mosaica habentur Transgressionum species & pœnæ, & nunqvam dicitur Magistratum ad instantiam Accusatoris, & non ex publica fama de crimine cognoscere debere.

5 Jure Canonico inqvisitionem licitam esse probatur ex *c. si audieris 32. C. 23. q. 5. cap. Evidentia 9. c. qvaliter 17. c. cum oporteat. 19. c. inqvisitionis 21. c. qvaliter 24. X. de accusat. & Inqvisit.*

Sed

Sed & jure civili licitam, imò præsidibus mandatam esse, apparet ex *l. congruit 13. ff. de offic. præsidis.* ubi Præses malis hominibus Rempubl. purgare, & sacrilegos, latrones, plagiarios, fures, &c. conqvirere jubetur. it. *ex l. 1. C. de Custod. reorum l. 7. C. de Accus.* 6

Qvamvis autem *in l. 6. §. 2. ff. de muneribus & bon.* dicatur neminem debere honoribus prohiberi, qvi accusatorem non habeat, hujus tamen sententia est hæc, qvod nemo debeat arceri à publicis muneribus, nisi in criminali accusatione jam sit, nam ob solum rumorem arcendus nemo est, nisi in continenti probetur. Sicut etiam Rectores eligi possunt in Academiis, si extra reatum sint, & crimen non possit probari in continenti. Sed per id non seqvitur, inqvisitionem non habere locum, qvia inqvisitio surrogatur in locum Accusationis, & loqvitur lex de casu tunc freqventiori. Ergo neqve accusatus, neqve inqvisitus debet prohiberi ab honoribus nisi in continenti probari possit. 7

Et qvin inqvisitio hodie sit licita, de eo nostro jure Germanico nullum est dubium, *per art. 8. 214. & 219. & passim in Constitut. Criminali Caroli qvinti.* 8

De Consvetudine autem res est certissima, adeò ut processus inqvisitionis, licet de jure civili sit remedium extraordinarium, tamen de consvetudine æqve ordinarium sit remedium, atqve Accusatio, *Pet. Heig. part. 1. qvæst. 39. n. 8.* & plures allegans *Clarus dict. §. ult. qvæst. 3. n. 6. Sig. Scacc. lib. 1. de judic. cap. 85. n. 11. in fin.* Imò & Inqvisitio Accusatione favorabilior, nam ex hac odium oritur inter cives implacabile. Hinc optime apud Venetos constitutum, ut universum accusandi munus Magistratui demandaretur, qvi non privata simultate ductus, sed legis instituto id agat, *Contarenus de Rep. Veneta lib. 3.* qvem laudat *Anton. Matth. ad lib. 48. tit. 20. c. 2. n. 1. Conf. Gudelinus de Jure Noviss. lib. 5. cap. 14. num. 19.* 9

Imò in tantum judex apertâ sibi viâ ad inqvirendum per denunciationem, vel alio modo tenetur inqvisitionis processum formare, ut si hoc omittat, litem suam faciat, *Clarus §. fin. qvæst. 4. n. 2. in fin. & Sig. Scaccia lib. 1. de judic. caus. civil. crim. & hæretic. cap. 68. num. 10. Foller. pract. crim. part. 1. num. 27.* 10

11 Et judex inqvirere negligens tenetur de Syndicatu, *Paris de puteo de Syndicatu, in verbo, Negligentia. cap. 1. num. 8. & 9. & Pet. Heig. d. qvæst. 39. num. 24.* Et Vindictam pœnamqve negligentiæ Divinam non evitabit. Non enim est Pastoris justa excusatio, si lupus oves comedat (si mali bonos exemplis suis corrumpant) & pastor dicat, se nescire, *c. qvamvis X. de Reg. jur.*

12 Sed & Experientia docet, qvoties inferiores judices crimina publica, de qvibus fama publica est, non investigant, solere à Procuratoribus fisci contra ipsos judices de non administrata justitia formari processum; & rectè. Cum per delicta publica offendatur Reipublicæ tranqvillitas, & harmonia Societatis civilis turbetur. Ideoqve vindictam vigor publicæ disciplinæ postulat, *l. locatio 9. §. qvod illicitè 5. ff. de publicanis. l. ita vulneratus 51. §. fin. ff. ad leg. Aqvil.*

13 Et Magistratus, qvi crimina non vindicaverit, colludere dicitur cum maleficis, vel eorum dicta ac facta tanqvam Conscius probare, *l. 2. C. de Commerc. & in l. f. C. ne Sanct. Bapt. iteretur.* Imperatores constituunt, nulli judicum licere delatum ad se crimen, minori aut nulli coercitioni, mandare, nisi ipse idem pati velit, qvod aliis dissimulando concesserit. Homicidas enim, Sacrilegos, & similis farinæ homines punire, non est effusio sangvinis, sed legum ministerium. *Can. homicidas C. 23. qvæst. 5.* & si qvis in inqvirendo crimine piger aut negligens esse præsumserit, dictis criminibus apud Deum se noverit esse participem, cujus zelo ad perscrutandas subtiliter nefandi causas facinoris non movetur, *C. sicut inqvit 46. C. 2. qvæst. 7.*

14 Hinc Sereniss. Elect. Brandeb. cum Illustriss. Ducibus Pomeraniæ & Megapolitanis in suâ Conventione *Anno 1617. die 22. Januarii inita, ita inter alia pacti sunt:* Auch sollen es alle und iede der jenigen/die wegen der Gerichte/ in obermeldten Chur- und Fürstenthumen / als untergesetzte Obrigkeit/ Befehlich haben/ an schleuniger execution des jenigen/ so erkant / mit nichten ermangeln lassen/ damit es wider sie selbsten keines andern Einsehens von nöthen habe etc.

15 Sed qværitur hîc, an si semel per accusationem processum sit contra facinorosum, etiam inqvisitionis processus concurrere possit, adeo ut judex, si videat deficere accusatorem, ex officio possit

possit inqvirere, alios testes producere contra facinorosum & ita in veritatem criminis inqvirere? qvod affirmat *Julius Clarus §. in qvæst.3.num.7. Sig. Scaccia d. lib.1. cap.85. num.10.* qvi id defendit ex consvetudine, & *Nicol. Reusn. lib.1. decis. 25. num.13.* ubi Jenensium JCtorum responso hoc comprobat. Et ita consulitur accusatori ne in justa causa forte deficiat, & contra Jus ad pœnam talionis condemnetur, & fisco, ne fiat collusio. Qvia etiam publicum est interesse, ut tollatur malum, & accusator hoc petiit per clausulam salutarem in libello, & frustra dividitur in duo judicia, qvod in unô expediri potest *confer. Oldekop. decade 1. q.2.* Et si accusatus absolveretur ob inopiam probationum, qvod in dubio præsumitur, posset denuò per inqvisitionis processum, si evidentiores probationes se offerant, condemnari, *Clarus §. fin. q.57. n.3. Farin. q 4. n.28.*

Si enim hoc fieri non posset, certè accusatores sæpè sub justo clypeo succumberent, qvæ ratio qvidem in civilibus non stringit, stringit tamen in criminalibus, ubi justissimus dolor accusatoris, & periculum ipsius & interesse publicum hoc svadere videntur. 16

Et qvamvis *Dom. Carpzovius* dissentire videatur *in Pract. Crim. qvæst. 107. num.38.* ipse tamen concedit, accusatore desistente post litem contestatam & cœpto judicio, judicem loco accusatoris processum ordinarium continuare debere, *num.52.* 17

Qvid si autem accusator non desistat, sed periclitetur, & qvidem in causa, qvæ judici justa videtur; hic officium judicis esse putaverim, non obstante accusatione, ex officio veritati succurrere, ex rationibus & authoritatibus antea adductis. 18

Illud non adeo controversum est, quod judex non teneatur offensum, vel ejus cognatos, aut heredes citare, eosqve interrogare, an accusare velint, an non, *Clarus d.q.3.n.8. Scacc. d.c.85. n.11.* ubi hoc ex consvetudine tantum, non ex jure defendit, licet rectius & juris esse dicatur, & *Carpzov. d. qvæst.107 num.38. in princ.* sicut & à nostra Facultate Anno 1644. mense Martio Senatui B. responsum esse memini. 19

Ideoqve si semel cæpta sit inqvisitio, & superveniat accusator, hic illam non interrumpit, sed illa potius accusatorem supervenientem repellit. *Nicol. Reusn. dict. decis.25. num.31.* & *Carpzov.* 20

d. qvæst. 107. num. 53. qvia inqvisitio hodie non minus ordinarium remedium est, qvam accusatio. Qvin & Experientia testatur, longe freqventiorem esse processum inqvisitionis, qvam accusationis.

21 Illud demum etiam notandum, ex processu accusationis fieri processum inqvisitionis, qvando tortura reo imponenda est, ex recepta Doctorum sententia, *Carpzov. dicta qvæst. 107. num. 58.* ubi hoc præjudiciis confirmat: sicut & ante annos aliqvot Senatui G. ita à Facultate nostra responsum esse memini, sed de eo infra agetur.

CAPUT II.

De DIVISIONE INQVISITIONIS.

SUMMARIA.

1. *Divisio inqvisitionis? n. 1.*
2. *Qvænam sit generalis inqvisitio? n. 2.*
3. *Qvæ species? n. 3.*
4. *Qvomodo fine differant hæ duæ inqvisitiones? n. 4. 5. 6. & 7.*
5. *Qvomodo differant causa efficiente? n. 8. 9. & 10.*
6. *Qvomodo differant objecto? n. 11.*
7. *Qvomodo causa impulsivâ? n. 12.*
8. *Qvomodo formâ? num. 13. & 14.*
9. *An specialis inqvisitio etiam institui possit non instituta prius Generali? A. n. 15.*
10. *Qvænam sit inqvisitio generalissima? n. 16.*

1 ANteqvam ad formam, cæteraqve Reqvisita Inqvisitionis accedamus, agendum est de eô, qvotuplex sit inqvisitio. Et qvamvis varii variè dividant, ut videre est ex allegatis *Farinacii lib. 1. tit. 1. qvæst. 1. num. 4. & Carpz. in Pract. Crimin. part. 3. qvæst. 107. num. 6. & seqq.* missis tamen aliorum divisionibus,

bus, nos in schola & foro receptam divisionem seqvemur, qvod alia sit generais, alia specialis, *Farinac. d. l. & Carpzov.*

Generalis est qvæ instituitur ad id, ut sciatur, qvæ famæ origo, & an delictum vere sit commissum, & à qvo præsumptivè vel probabiliter commissum. Licet præter Generalem etiam tradant generalissimam, qvam Officiales vigilantes solent ex officio instituere, *c. 17. X. de Accus.* qvam etiam Pius Judex ex officio instituere debet, ut inqvirat, qvomodo vivant subditi, an non varia vitia grassentur inter subjectos, nam qvo modo judex vigilantis pastoris nomen merebitur? Principiis si hoc modo obsisteretur, multa mala præverterentur. 2

Specialis verò instituitur adversus certam personam, ob delictum, de qvo, qvod commissum sit, ex generali inqvisitione apparet. 3

Ut autem utriusqve discrimen penitius appareat, non omittendum, qvod differant hi duo processus. *Primò* fine: Generalis enim inqvisitio instituitur ad informationem tantum judicis, ut sciat originem famæ, & an delictum tale, de qvo fama increbuit, commissum sit; specialis verò instituitur eo fine, ut, postqvam de delicto jam constitit, appareat, qvinam commiserit, ut de eo pœna sumatur merita. 4

Hinc Baldus in l. ea qvidam C. d. Accusat. rectè videtur distinguere inqvisitionem in eam, qvæ est facti, & eam qvæ est juris; facti ea est, qvæ ad informationem judicis instituitur super facto, i. e. commisso delicto: juris est, qvæ ad punitionem delicti tendit. Per illam enim inqvisitionem generalem, per hanc verò specialem intelligit. 5

Nec abludit distinctio *Bossii in tit. de Inqvisit. num. 4.* qvod aliud judicium sit ad inqvirendum, aliud ad condemnandum. Sed generalis inqvisitio habet tres species, nam vel de delicto & persona in genere inqviritur, vel de persona tantum in genere, & de delicto in specie, vel deniqve de delicto tantum in genere & de persona in specie. *vid. Cothman. vol. 1. Cons. 12. n. 3. & seq.* 6

Generalis inqvisitio qvasi præparatoria est, & viam sternit ad specialem. Nam postqvam ex inqvisitione generali judex tum de delicto, tùm de autore delicti aliqvam notitiam conse- 7

cutus

cutus eſt, ſolet poſtea per ſpecialem inqviſitionem adverſus perſonam illam in ſpecie ex officio inqvirere.

8 *Secundò* differunt cauſa efficiente. Inqviſitio generalis inſtituitur interdum ab eo etiam, qvi merum imperium non habet; ſed ſpecialis tantum ab eo, qvi habet facultatem infligendi pœnam delicto convenientem, qvalem habet qvidem regulariter omnis judex, ſed qvando delicti pœna eſt corporalis, ſeu corporis afflictiva, aut capitalis, hic inqviſitio ſpecialis fieri deberet ab eo, qvi merum habet Imperium.

9 Hoc diſcrimen ex priori fluit: nam qvia ſpecialis inqviſitio ad puniendum inſtituitur, in criminibus publicis autem nemo puniendi poteſtatem habet, niſi qvi merum habet imperium, hinc ſeqvitur, Magiſtratum, qvi non habet merum imperium, ſpecialem inqviſitionem inſtituere non poſſe. Sed generalis inqviſitio ſtatim ſine ulla mora inſtituenda eſt à Magiſtratu inferiori, ut aperiat viam Superiori Magiſtratui ad inqvirendum. Qvod diſcrimen breviter attingit *Dom. Carpz. in d. qvæſt.107. n.14.*

10 Exemplum ejus habemus in Academia noſtra, ubi patrato inter literatos homicidio ſtatim Magiſtratus Academicus inqvirit de delicto & autore delicti in genere. Poſtea ex inqviſitione generali ſumit narrationem facti, qvam Sereniſſimo Electori transmittit. Sereniſſimus autem Elector, qvi ſibi merum imperium, ſeu pœnas ſangvinis in cives Academiæ literatos reſervavit, ulterius ſpecialem inqviſitionem inſtituit, vel Academiæ pro lubitu committit.

11 *Tertiò* differunt objecto. Generali enim in inqviſitione qværitur de ipſo delicto, an commiſſum ſit, vel ſi conſtet de delicto, v. g. ſi vulneratus aliqvis reperiatur, qværitur de autore delicti generaliter, & interrogantur teſtes, qvos judex de negotio informatos putat, an ſciant, qvis delictum commiſerit, neminem nominando. Qvando verò certum eſt delictum, & præſumtiones contra certam perſonam militant, tunc inqviritur contra illam perſonam in ſpecie & interrogantur teſtes, qvid ſciant de hoc delicto, & ſimilia, ut hanc practicam tradit *Clarus qvæſt.5.num.5.*

12 *Qvartò* differunt cauſa impulſiva, nam generalis inqviſitio fit, qvando judex aliqvali rumore movetur, vel fama de delicto com-

commiſſo, ſed ſpecialis inqviſitio fortiora reqvirit indicia, ut *capite qvarto*, volente Deo videbimus.

Qvintò differunt formâ, qvod in inqviſitione generali, articuli ſeu interrogatoria non dirigantur in certam perſonam, ſed indefinitè in autorem delicti, in ſpeciali verò certæ perſonæ fiat mentio. 13

Item qvod in inqviſitione generali teſtes ſummariè & ſine juramento examinari poſſint, qvamvis interdum, ſi metuendum, ne veritatem ob amorem &c. injurati opprimant, neceſſarium ſit, ut juramentum exigatur; in ſpeciali verò ſemper juratò. Qva de re *infrà* de forma inqviſitionis fuſiùs. 14

Interdum tamen Specialis ſtatim inqviſitio ſuſcipi poteſt, ſine generali inqviſitione præcedente. Qvoties ſcilicet reus in flagranti crimine deprehenſus eſt, ne, ſi prius generaliter inqviratur, reus fugâ elabatur, *Carpz. d. qvæſt. 108. in fine*, & inepta hic eſſet inqviſitio generalis. 15

Sed cum dixerimus tantùm duas eſſe inqviſitionis ſpecies, qvid de generalisſima inqviſitione judicandum? Generaliſſimam inqviſitionem diverſimodè deſcribunt. Alii enim generaliſſimam inqviſitionem vocant illud bannum, ſeu proclama, vel edictum, qvod officiales poſt officii ingreſſum promulgare ſolebant, ad effectum purgandi territorium malis hominibus, juxta *l. congruit. ff. de offic. præſidis. Sig. Scaccia lib. 1. de judic. cauſ. civil. & crimin. cap. 69. num. 2. Cothman. lib. 3. conſ. 30. num. 153.* Alii per inqviſitionem generaliſſimam intelligunt inveſtigationem rei furtô amiſſæ, vel alterius in ædibus incolarum, eine Haußſuchung. *Berlich. part. 1. deciſion. 120. num. 2. & 5.* ſed neutra inqviſitio nomen inqviſitionis per ſe & abſolutè meretur; Non illa, qvia pars inqviſitionis generalis eſt; Non hæc, propter eandem rationem, & qvia etiam in civilibus hæc inqviſitio locum habet. Sed ſi generaliſſimam dicamus eam, qva judex in mores ſubjectorum etiam ſine fama procedit, de qva ſupra, poteſt hæc, tanqvam ſpecies diſtincta, retineri. 16

CAPUT III.

De

CAUSA PRINCIPALI ET INSTRUMENTALI INQVISITIONIS.

SUMMARIA.

23. Qvo-

Causa principalis Inqvisitionis est judex competens, aliàs inqvisitio ipso jure nulla est, *t.t. C. si à non competente judice &c. Farinac. 1. qvæst. 1. num. 53. Bened. Carpzov. qvæst. 107. n. 73. Dambud. in praxi rerum criminal. cap. 8. num. 4.* 1

Et qvidem talis judex esse debet, qvi habeat merum imperium, 2 sive gladii potestatem, vel etiam mixtum Imperium sive bassam jurisdictionem, si sit crimen, cujus pœna carceris, vel pecuniaria, vel etiam relegatio. Frustra enim qvis inqvireret in crimina, qvi non habet animadvertendi potestatem, *arg. lib. 3. ff. de jurisdict. Carpzov. part. 3. qvæst. 104. num. 26. & qvæst. 109. n. 17. Berlich. 1. decis. 120. num. 1.* & alii.

Ut autem sciamus, qvinam judex sit competens, notandum 3 est, forum competens in criminalibus vel esse forum domicilii, scilicet non originis, sed habitationis, *vide Carpzov. qvæst. 110. n. 10.* vel esse delicti commissi locum qvale forum etiam milites agnoscere tenentur, in atrociori crimine communi *l. 3. pr. ff. de re militari.* & Clarissimi *l. 1. C. ubi Senatores*: qvia omnem honorem reatus excludit, *d. l. 1.*

Vel esse forum inchoati criminis, qvod communiter intelli- 4 gunt Dd. de lite criminali cæptâ, ita ut præventioni locus sit; unde & Dd. colligunt, prorogationi jurisdictionis etiam in criminalibus locum esse, *Don. lib. 17. cap. 16. & ibi Hilliger, lit. B.* rectius tamen fortè *Wesenbec. in d. tit. C. ubi crimine. num. 3.* non de præventione, sed de loco inchoati delicti, ibi: *vel inchoata* &c. intelligit.

5 Ultimum forum eſt; ubi reus reperitur, *per d. l. 1. C. ubi de crimin.* Qvod maximè de vagabundo ac fugitivo Dd. intelligunt, per tradita *Gl. in d. l. & Farin. lib 1. qv. 7. num. 13.* nam vagabundum ob delictum commiſſum ubivis locorum puniri poſſe, freqventiſſimo calculo Doctorum receptum eſt *Clarus qvæſt. 39. num. 7.* Sed verius eſt, etiam non vagabundum ubi reperitur ob crimen publicum poſſe puniri, ob generalitatem textuum in *l. 1. C. ubi de crimine, l. 3. & 13. ff. de Offic. præſid. Ant. Matth. ad lib. 48. tit. 13. cap. 4.* nec obſtat, qvod reus ſit puniendus, ubi deliqvit. *l. 7. §. pen. & ult. de Accuſ.* ſed illæ leges non loqvuntur excluſivè, nec opponuntur judici, ubi reperitur, & neceſſitas remiſſionis, ſi petatur tantum innuitur. Et rectè ergo erroris arguuntur, qvi negant à judice domicilii inqviri poſſe, *ut Farin. qv. 7. n. 22. Clarus §. fin. qv. 39. num. 3. Ant. Matth. d. l. n. 5.*

6 Qværitur autem hic primò, an judex domicilii contra aliqvem inqviſitionem formare poſſit, qvi alibi deliqvit? Affirmativa ſententia, qvod ſcilic. judex originis, vel hodie domicilii & habitationis, poſſit cognoſcere de delicto alibi commiſſo, nec neceſſe habeat delinqventem ad locum delicti remittere, communior eſt & verior, alias enim ſeqveretur, unicum tantum forum eſſe competens inqviſitorium, ſcilicet locum delicti, qvod tamen falſum. Accedit qvod forum domicilii ſit generale, concurrens cum cæteris judicii ſuſcipiendi locis, adeò ut præventioni locus ſit. Et hanc amplectuntur *Teſſaurus dec. 90. n. 2. & plures allegati à Far. lib. 1. qvæſt. 7. num. 20.* qvi limitat eandem *num. 25.* niſi judex loci domicilii & judex loci delicti eſſent eidem Principi ſubjecti, qvo caſu remiſſionem facere teneretur alter. Si qvis ab Imperatore exemtus eſt à Jurisdictione Ordinarii Judicis ab eo capi & remitti non poteſt. Sed in enormibus delictis hæc privilegia ſuum effectum non habent, nec hæc præſumitur mens Eximentis.

7 Ergo ſi judices ſint ſub eodem principe, princeps omninò remiſſionem demandare poteſt, *Clarus qvæſt. 38. num. 12. Covar. pract. qvæſt. cap. 11. num. 10. & ex his aliisq; Farinac. num. 29.* Unde notari poſſunt caſus, in qvibus remiſſiones delinqventium fieri poſſunt, Primus, in hoc *num. 7.* Alius caſus, qvando petitur remiſſio ad confrontationem, ubi ſolet interponi cautio, ut liberè domum redire

dire possit, *Dn. Tabor. de Confront. p. 1. num. 38.* Tertius casus, si inter vicinos ita convenerit, ut in *num. 9.* Qvartus casus, si hic illi remittendo gratificatus est, & ille huic alio tempore regratificari vi antigraphi tenetur. Qvintus casus est in *n. 10.* Sextus in *l. 3. ff. de Re milit. Carpz. p. 4. Const. 9. def. 11. Decianus in tr. crim. l. 4. cap. 17. n. 5.* Qvid si autem aliqvis ob latrocinium vel furtum in meo territorio deprehensus, & ego petam, ut Dominus loci, ubi deliqvit, revocet alioqvin me captivum demissurum? Resp. non posse alium compelli, ut avocet, qvia etiam judex deprehensionis est judex competens, & ordinarius, & ut remissio non est necessitatis, ita nec petitio remissionis, & ita à Facultate non ita pridem responsum est.

Fit etiam non rarò, ut judex alteri facinorosum remittat 8
urbanitatis & amicitiæ causa, sub antigrapho & literis reversalibus, qvarum summa, qvod ista remissio remittentis jurisdictioni non debeat esse fraudi, sed sine periculo, seqve in casu simili idem præstiturum, *Gail. lib. 1. de P.P. c. 16. n. 30. & Carpzov. de qvæst. 110. n. 58.*

Inter Serenissl. Elector. Brand. Ducesqve Pomeraniæ ac Me- 9
gapolitanos Illustrissimos, in allegata conventione hoc in specie cautum, ut etiam sine literis reversalibus princeps alter alteri prædonem vel latronem in suo territorio deprehensum remittere teneatur, h. v. J. J. J. J. J. Chur- und F. F. F. F. G. G. G. G. G. wollen auch einander die Räuber / die unter einem von höchst- und hoch-genanten Chur- und Fürsten gesessen / unter einem andern aber aus J. J. J. J. J., Chur- und F. F. F. F. G. G. G. G. G. mittel gefangen worden / nicht vorenthalten / sondern vielmehr / auch ohn allen revers (denn hiemit und in Krafft dieses soll allbereit caviret seyn / daß es dem remittirendem Herrn an seiner Landes-Fürstl. Hoheit und Gerichten unnachtheilig seyn soll) remittiren und zukommen lassen / doch daß der Chur- oder Fürst / an welchem er also remittiret wird / allermassen wider ihn mit der execution verfahre / wie hierin gemeldet steht.

Potissimum autem tunc remissionem fieri æqvum est, si in lo- 10
co delicti delinqvente deprehenso inqvisitio formata & causa criminalis ventilata, & sententia jam lata fuerit, reus autem aufugiat, alibi deprehendatur, *Carpz. d. qvæst. 110. num. 63.* ubi *n. 65. & seq.* edisserit de reqvisitis Remissionis in iis casibus, in qvibus etiam hodiè remissio fieri potest.

11 Nam 1. reqviritur ut per ſummariam cognitionem conſtet, judici remiſſuro de jurisdictione ejus, qvi remiſſionem reqvirit, & de delicto à remittendo probabiliter commiſſo. 2. Ut delictum non ſit leve, ſed grave, ut ſtatuatur ſcil. exemplum, *arg. l.3. ff. de Re milit. Clarus d. qvæſt.38. num. 23.* Sed de hoc ſecundo reqviſito dubitarem, nam ut audiemus ſuo loco, omnia delicta ſcandaloſa in inqviſitionem venire, & non debere puto judicem adeo eſſe ſolicitum, an atrocius crimen ſit, ſed qvam ſcandaloſum crimen ſit, judicem loci delicti melius judicare poſſe. 3. Ut fiat ſumptibus remiſſionem petentis.

12 Qvibus adde qvartum reqviſitum ex *Farinac. de qvæſt.7. num. 43.* Ut ſi remiſſus ſit facinoroſus ad locum delicti, novus proceſſus contra eum inſtituatur, ſi prior judex incompetens; ſi verò competens, putat *Farinac.* priorem proceſſum continuandum. Qvod tamen intelligo, niſi inqviſitus prioris proceſſus defectum alleget.

13 Fieri etiam poteſt, ut punitus ab uno judice propter unum delictum, petatur remitti ad alium judicem pro alio delicto puniendus, de qvo *Farinac. d. qvæſt.7. n.42.*

14 Qværitur 3. circa hanc materiam fori competentis, qvis judex, ſi reus in uno territorio inchoaverit delictum, in alio perfecerit, v. g. vulneraverit in hoc, & demum interfecerit in altero territorio? Et qvamvis *Dn. Carpzov. d. qvæſt. 110. n. 18. cum Zangero* ita definiat hanc qvæſtionem, qvod locus delicti conſummati, non inchoati ſit attendendus, cum delictum ex loco, ubi conſummatur, perfectionem accipiat. Sed qvod pace Viri illius incomparabilis dixerim, in jure noſtro civili præferenda videtur ſententia, qvod qvando delictum ratione tàm agentis, qvàm patientis in uno territorio eſt inchoatum, in altero verò conſummatum, ut in antea dato exemplo; item, ut alio declarem exemplo, ſi qvis virginem rapuerit in hac provincia, & ei vim intulerit in alia, vel ſi hic falſum inſtrumentum fecerit, in alio loco eo uſus ſit, ſi hic vinctus, alibi ſpoliatus, qvod, inqvam, in his & ſimilibus caſibus, Uterq; judex tàm delicti inchoati qvàm conſummati judex ſit competens, & locus ſit præventioni, ut tradunt *Felinus in c. ult. X. de foro compet. Everhardus in loco 42. à Contractibus ad delicta n.7. Marſil.*

in l. un.

in l. un. num. 150. C. de Raptu Virginum. Farinac. d. qvæst. 7. num. 45. Clarus §. fin. q. 38. n. 9. Ant. Matth. tit. 13. c. 5. n. 8.

Et ea ſententia, ni fallor, probatur per *l. 1. C. ubi de Criminibus* 15
per verba: *ubi commiſſa vel inchoata*; nam poſterius verbum non de inchoato proceſſu, ſed de delicto cum *Weſenb.* ibidem intelligendum eſſe, puto, qvod ſvadet contextus. Nam idem ſubjectum eſt, ſcilicet crimen de eo dicitur, qvod ſit commiſſum vel inchoatum. Ergò poſterius prædicatum non de proceſſu, ſed de delicto, de qvo prius prædicatum dicitur, intelligendum eſt. Accedit, qvod ibi non qværatur de præventione, ſed foro competente. Et hæc ſententia publicè utilis *l. 51. §. 2. ff. ad L. Aqvil.* Sed qvid ſi in hoc loco mandaveris cædem, in alio loco ea patrata. Nonnulli volunt Judicem executæ cædis tantum judicare debere, ut *Clarus d. q. 38. n. 6.* de cujus veritate dubitat *Farin. q. 7. n. 47.* negat vero *Ant. Matth. d. l. n. 9.* qvia mandatum cædis per ſe delictum eſt, cujus pœna tantum aggravatur cæde ſecuta. Nec abſurdum eſt, ſi mandans hic condemnetur, alibi mandatarius abſolvatur, *l. 17. §. pen. ff. de Adult.* Nec itaqve abſurdum, mandantem alibi ex inopia probationum abſolutum, alibi conveniri iterum *Ant. Matth. d. t. 13. c. 5. n. 8. & ſeqq.*

Qværitur 4. Si delictum in confinio commiſſum, & in ſpe- 16
cie homicidium, & neſciatur, ubi factum ipſum vel cædes perpetrata, qvis judex competens? Variæ ſunt hac de re ſententiæ, nos, miſſis illis, amplectimur ſententiam *Carpzov. d. qvæſt. 110. num. 34.* id ſcil. arbitrio judicis committendum, qvi ex circumſtantiis, indiciis & præſumptionibus in qvocunqve facto occurrentibus, præſertim ex apparitione ſanguinis, aliisqve, id decidere, & præſertim patientis potius, qvàm agentis locum conſiderare debet. In dubio ſane utriusqve cognitio eſt, *Farinac. d. qvæſt. 7. num. 51.* Nec circa locum capitis jacentis ulla certitudo, qvia variæ morientium jactationes, conf. *Ant. Matth. d. c. 5. num. 6. Dn. Fritſchius in Tr. de jure viarum c. 10.*

Qvintò qværitur de delicto in viâ publicâ commiſſo, qvando 17
via publica in alterius territorio eſt, qvi ibi merum imperium habet? & hic jus inqvirendi non judicis, cujus territorium eſt, ſed Principis, ad qvem regalia ſpectant, eſſe, verius eſt & communi-

ter

ter receptum, per tradita *Sixtini de Regalibus cap. 2. num. 16. Georg.* Schultz *in synopsi feudali cap. 7. n. 137. Matth. Steph. de jurisdict. lib. 2. part. 1. c. 7. n. 490. Schneidevv. ad §. fin. n. 8. Inst. de J. N. G. & C. Dom. Carpz. d. qvæst. 110. n. 41.* ratio hujus sententiæ est, qvia viæ publicæ sive basilicæ, die Käyserl Heer-und Reichs-Strassen/ ad regalia pertinent, *c. un. qvæ sint regal. lib. 2. feud. tit. 56.* Rosenthal *de feudis cap. 5. num. 20.* Sed hoc non observari in Electoratu Sax. refert *Fritschius d. l.* qvod forte etiam alibi locum habet moribus nostris. Nam non solent de prævenienda jurisdictione criminali judices multum solliciti esse, nisi ubi spes mulctæ se offerat.

18 Si verò in pago vel civitate, in via publica fuerit commissum delictum, tunc ejus cognitio ad judicem illius loci pertinet, der die Strassen-Gerichte hat. *Zangerus de Except. part. 2. c. 1. num. 242. & hunc allegans* Schultz. *d. l. n. 140.*

19 *Sextò* qværitur, si qvis judex competens qvidem, sed reum non in suo territorio, sed in alieno, & qvidem sub alio Principe per suos ministros & executores ceperit, an contra eum captum inqvisitionem formare possit? qvod negat *Farin. d. q. 7. num. 40.* qvia non debuit eum capere in alieno territorio. Sed hoc intelligo, si judex loci, in qvo captus reposcat facinorosum, sed aliud est, si judex non reposcat, nec de violata jurisdictione sua qveratur, judex dimittere captum non debet, sed de delicto cognoscere; qvia judex capiendo reum in alieno territorio, non peccavit contra reum, qvi meruit, ut ubivis deprehenderetur, sed peccavit tantum contra judicem loci.

20 *Septimò* qværitur, an cui gratia delicti facta in loco delicti, vel qvi absolutus, vel condemnatus est, possit in loco domicilii, vel alio foro iterum inqvisitionis processu pulsari? Et *Farin.* distinguit inter primum, & reliqva membra: qvando enim gratia facta, tunc ab alio judice contra eum procedi non potest, si sint sub eodem principe, (si sc. præsupponamus eos habere jus adgratiandi ut Principes Imperii Romani) secus si sub diversis, id est, si alter judex sit subjectus Principi adgratianti, & non poterit inqvirere, sed si non sit subjectus illi Principi, adgratiatio non impediret judicem alterum, & alter posset inqvirere, qvia condemnatus non est, & non minus est ordinarius Judex; qvando verò absolutus est,

vel

vel condemnatus ab uno, ibi præventioni locus eſt, & ab alio judice, ſive ſub eodem, ſive ſub diverſo ſit principe, proceſſus inqviſitionis reaſſumi non poteſt, niſi in priori colluſio admiſſa vel fraus, *Farinac. d. qvæſt. 7. num. 26.* de qvo plura *cap. 6. n. 7.*

Notandum demum, qvoties duo ſunt judices competentes, 21
uti ex dictis apparet, id fieri poſſe, qvod tunc locus ſit præventioni, ita ut ille, qvi prius inqvirere cœpit, alterum excludat, *Farinac. d. qvæſt. 7. num. 52.* Qvando autem alter citavit inſcriptis, alter verò apprehendit facinoroſum, tunc hujus potior conditio *Farin. d. l. n. 52. Ant. Matth. d. l. n. 7.* niſi reus ſtudio ſe in manum judicis dediſſet, ut alterius jurisdictionem eluderet. *Farin. num. 53.* ſi citatus eſſet contumax *Farin. num. 56.*

Sed qvia in ſpecie interdum in cauſis ſtupri occurrit qvæſtio, an cognitio & inqviſitio judici ei competat, qvi merum imperium habet, an verò ei, qvi mixtum habet imperium ſive jurisdictionem inferiorem. Et qvoniam ſtupri ſimplicis & fornicationis, qvæ ſtupro levius delictum, pœna hodie arbitraria eſt, non malè fortè dixerit *Berlich, part. 5. concl. 38. in fin.* ad jurisdictionem inferiorem eam inqviſitionem pertinere. Nam & coram eo, qvi non habet imperium merum, agi poteſt criminaliter ad pœnam extraordinariam, pœnam fiſcalem, relegationem, carcerem & ſimiles pœnas, de furto, de injuria, de fornicatione, de blaſphemiis, dejerationibus, maledictis, prophanatione Sabbathi, de ſimultatibus, de ſcandaloſis conventibus, converſationibus, variis fraudibus & ſtellionatibus, de uſuraria pravitate & ſim. Nam ſi vera eſt illa ſententia, omnia delicta externa ſcandaloſa venire in inqviſitionem, ut poſtea docebitur, certe non tantum judex, qvi merum imperium, ſed qvilibet judex contentioſam jurisdictionem habens inqvirere poterit ac debebit. Fuſtigatio autem & pœna capitalis ad merum imperium pertinent. Sed relegationis & carceris & pecun. pœna ad judicem eum etiam pertinet, qvi non habet jurisdict. criminalem, *Ord. Cam. p. 2. t. 28. §. Item* Nach dem auch. *Dan. Moll. l. 2. Semeſt. lib. 2. c. 1. n. 1. Petr. Frid. de Mandatis lib. 1. cap. 9. art. 12. Cothman. conſ. Acad. 1. n. 173. Matth. Steph. ad Ord. Crim. Car. 5. in Proœm. num. 14. Carpz. q. crim. 102. n. 31. & ſeq.* Sic ergo pœna ſtupri ſimplicis, vel fornicationis pertinet ad inferiorem jurisdictio-

nem etiam, non excluso tamen habente merum imperium. Stupri vero violenti tantum ad merum imperium. Hinc crimen falsi non
23 admodum grande etiam mixtum habens imperium potest tractare: Sed qvid si sententia præter opinionẽ seqveretur afflictiva corporis; Resp: tunc executionem & causam totam ad meri Imperii judicem posse remitti, sicut mala ad præfectum prætorio remittebantur in prætoriis judiciis. Sed hæc omnia, nisi consvetudo contraria.
24 Circa injurias qværi solet, si injuriæ factæ ipsi judici, an judex de injuriis sibi illatis inqvirere ipse possit; Et communis est distinctio, qvod injuria vel sit illata judici ratione officii, vel tanqvam privato. In illo casu judicem ob injuriam, non tam sibi qvam officio illatam, ipsum inqvirere posse, non vero posteriori casu, ut testatur *Clarus. §. fin. qvæst. 35. num. 26.*
25 Sed *Gail. lib. 1. obs. 39. num. 4.* ad hoc reqvirit primo, ut injuria Magistratui ratione officii fuerit illata. 2. ut injuria sit evidens & notoria, nec altiorem probationem vel indaginem in facto reqvirat. 3. ut pœna respiciat, non interesse partis, v. g. si Consul vellet agere ad æstimationem injuriarum sibi applicandam: sed ut respiciat interesse Reipublicæ. 4. ut imponatur pœna ordinaria. Sed hoc qvartum reqvisitum vix videtur locum habere, nam in injuriis, ubi est pœna ordinaria? Variat ea multipliciter & est arbitraria, & qvomodo ergo judex sine suspicione affectus sinistri arbitrabitur; Sane hoc non potest determinare judex, sed hoc casu Acta transmittenda ad Collegium juridicum. Confer *Dn. Carpz. in pract. Crim. q. 95. num. 84.*
26 Sed si inqvisitus suspectum sibi esse dicat judicem, hoc sane casu non potest cognoscere, aut ad minimum tenetur adjungere Notarium, ut in simili tradit *Carpz. in pract. 104. n. 68.* Qvod hodiè receptissimum, ut petente hoc inqvisito vel ejus cognato Notario judicii Notarius conjungatur qvod judex prudens recusare non debebit, nisi suspicionem inimicitiæ prebere velit, & sinistri affectus.
27 Ex dictis apparet, reum, contra qvem instituenda est inqvisitio, inqvirentis judicis jurisdictioni subjectum esse oportere. Sed qværitur de clericis, an non illi ratione delicti in loco commissi criminis inqvisitionem sustinere debeant; Et unanimi consensu

docent

docent omnes, qvod non: nam clerici, tàm in criminalibus, qvam civilibus, à judice laico judicari non possunt, *c. cum non ab homine. c. at si clerici. c. clerici. qvaliter X. de jud. c. si diligenti. & C. signif. X. de foro compet. & sim.* sicut nec laicus conveniri potest & judicari à judice Ecclesiastico, nisi in causa spirituali & ecclesiastica. Qvam utramq; regulam cum multis ampliationibus & limitationibus tradunt *Clar. q. 36. Farinac. lib 1. qvæst. 8. per totam.*

Cum autem fiduciario jure ex Pace Religiosa Principes Augustanæ confessioni addicti in Imperio Romano jura Episcopalia administrent, certum est, Clericos esse sub jurisdictione Principum Augustanæ Religioni addictorum. Conseqvens hinc est, Principes etiam in delicta atq; crimina Clericorum inqvirere, in eosq; animadvertere jure posse, qvamvis pœnam eorum degradatio præcedere debeat, ut infrà dicetur. 28

Et hanc jurisdictionem qvoad causas Ecclesiasticas & civiles item qvoad delicta leviora exeqvitur princeps per Consistorium. Delicta graviora, si clericus in loco delicti deprehendatur, pertinent ad judicem secularem loci illius, per tradita *Dn. Carpz. lib. 1. qvæst. 2. num. 20. & qvæst. 110. num. 85.* Sed si non deprehendatur in gravi scelere, cognitio est Principis. 29

Sed qvid si Nobilis delinqvat in urbe municipali, habetne Magistratus municipalis potestatem coercendi nobilem, & contra eum instituendi Processum inqvisitionis; Tractat hanc controversiam *Matth. Steph. lib. 2. de jurisdict. part. 2. cap. 2. n. 81. & seqq.* Et rectè distinguit inter nobiles, qvi sunt in ministerio principis & semper in aula vivunt, & cæteros. Et de illorum delictis negat municipalem Magistratum inqvirere posse, sed qvod ad principem cognitio & punitio delicti commissi spectet. Qvando enim exempta est persona ab alicujus foro, est qvoq; exemta ejus familia, *arg. l. un. C. si qvacunq; præditus potestate &c.* 30

Sed hoc intelligo de eo casu, si nobilis aulicus in ea civitate sit, ubi tunc princeps est, vel ubi principis negotia exercet; secus, si in alio loco propriorum negotiorum causa versaretur. Certa enim regula est: exemtum, si delinqvat in loco non exempto, ut hic, extra urbem, in qva residet vel versatur Princeps, puniri secundum statuta & consuetudines illius loci, ubi deliqvit, *Bald. in l. 1. C. ubi Senat. vel Clariss.* 31

32 Sed nobiles, qvi non vivunt in aula Principis, ubicunq; locorum isti delinqvant, etiam in urbe, ubi residet princeps, puniri possunt à Magistratu municipali urbis, si ille habeat in loco delicti merum imperium. Nam regulariter delictum tribuit forum, cujus nulla hic reperitur exceptio. Eo enim ipso, qvod nobilis in urbe delinqvit, se ejus judicis jurisdictioni subjicit, *Auth. qva in provinc. C. ubi de crimine*, & idem in milite, *per l. desertorem 3. fi. de re milit.* nec non clerico, ut supra dictum. Et ita etiam sentit *Fachsius tomo 2.cons. illustr. cons.46.*

33 Qvamvis sciam distingui solere hodie, utrum urbs in loco delicti ceperit nobilem, & tunc contra eum procedere posse inqvirendo; secus esse, si aufugerit, etiamsi in suis prædiis degat, nam tunc eum citari non posse, sed cognitionem esse principis.

34 In casu Robbariæ seu rapinæ habemus dispositionem claram in Conventione Sereniss. Elect. Brandenb. cum Ducibus Pomeran. & Megap. inita anno 1617. die 22. Januari. §. Und soll hier wieder Ibid. Und soll hier wieder keine Adeliche/oder einige andere Befreyung etwas gelten oder schaffen/ sondern solche alle und jede/wie die heissen und Namen hätten/und keine ausbescheiden/werden hiemit gäntzlich cassiret und auffgehoben. Denn es ja mit solchen Befreyungen allen also gethan/das dennoch salus populi suprema lex bleiben muß. Auch kan keiner/ der sich des Mordens / Strauchreitens/Raubens und gewaltsamen stehlens befleißt/einer Rittermäßigen oder privilegiifehigen Personen mehr wehrt seyn. Similia Rescripta habet *Scheplizin Consvet. Brandenb. in fine.*

35 Studiosi si delinqvant capitaliter, cognitio est vel Academiæ, vel Principis, vel Episcopi. Sed in loco & urbe, ubi Academia sita. Secus, si alibi locorum in aliis urbibus delinqvant, per traditam superius ex Baldo regulam. Nam licet Dd. statuant per authenticam *Habita* datam esse jurisdictionem criminalem Academiis in Studiosos, id recte in dubium vocatur ab *Ant.Matt. d. tit. c.5.* num. 14. 1. qvia non est verisimile, rem tam grandem tam frigide tractatam ab Imperatore 2. merum Imperium in indefinita constitutione non continetur. 3. vult causa cadere eum, qvi studiosum ad judicem non suum trahit, & hoc ad civilia pertinet. 4. vetat, ne studiosus ob alterius delictum clarigetur & convenia-

tur,

tur, ergo ob suum potest. Nec videtur plus indultum studiosis, qvam militibus & clarissimis.

Satis jam de foro competenti, lubet nunc de reqvisitis judicis 36
criminalis paulum disserere. Et *primò* qvidem judex debet esse Vir bonus, sive bonus Christianus, probitate vitæ conspicuus, debet esse vacuus qvatuor illis affectibus de qvibus in *c. qvatuor. C. 11. qvæst. 3.* qvi his versibus exprimuntur.

Qvatuor ista, timor, odium, dilectio, census.
Sæpe solent hominum sanos pervetere sensus.

Caveat etiam, ne severitatis affectatione, aut inani clemen- 37
tiæ gloriâ qvid durius vel remissius statuat. *L. respiciendum ff. de pœnis.* Perniciosè enim errant judices, qvi severitatis gloriam affectantes, crudeles & atroces sunt. Sicut enim misericordia sursum ad Deum levat, ita severitas deorsum in infernum dejicit, ut ex aliis tradit *Sigism. Scaccia lib. 1. de jud. caus. civil. cap. 86. num 3.* ubi dictum August. adducit: *Imple Christiane judex pii patris officium, sic succensere impietati memineris, ut non in peccatorum atrocitatibus exerceas ulciscendi libidinem, sed peccatorum vulneribus curandi adhibeas voluntatem.* Et ex Gregorio: *sit amor, sed non emolliens; sit rigor, sed non exasperans; sit Zelus, sed non immoderatè sæviens, sit pietas, sed non expedit, parcens. c. Disciplina 9. dist. 45.*

Nam si humanum sitiant sanguinem, ita ut in condemnatio- 38
ne glorientur, efficiuntur homicidæ, qvamvis culpabilem condemnent, *Boss. in tract. crim. tit. de favore defens. num. 1.*

Consideret bonus judex illud Salomonis, *Spiritum Sapientiæ* 39
non intrare animam sceleratam, nec habitare in corpore peccatis obnoxio.

Consideret illud Josaphati Regis Judæ 2. *Chron. 19. v. 6. & seqq.* 40
qvoties criminalia tractat negotia: *Videte qvid faciatis, non enim pro homine exercetis judicium, sed pro Jehova, qvi vobiscum est in rebus judiciariis; qvare nunc insit pavor Jehovæ vobis: observate & facite. Non enim est apud Jehovam Deum nostrum iniqvitas, aut acceptio personarum, aut sumtio muneris;* perpendat identidem illud: *Initium Sapientiæ esse timorem Domini.*

Sint prædìti virtutibus illis, qvas in judice reqvirit Jethro 41
socer Mosis, *Exod. 18. vers. 21, ut sint viri strenui, timentes Deum, veraces & osores turpis lucri.*

42 Orent cum Salomone *1. Reg. 3. v. 9. Des Domine servo tuo animam intelligentem ad judicandum, discernendo inter bonum & malum.*

43 *Secundò* debet inqvisitor seu judex esse Vir prudens, ubi enim majus versatur periculum, ibi major adhibenda est prudentia.

44 *Tertio vir doctus*; Nam ut ait *August. Ignorantia judicis plerumq; est calamitas innocentis, de Civit. Dei lib. 19. cap. 6.* qvem allegat *Annæus Robert. lib. 2. rerum judic. cap. 16.*

45 Qvæ reqvisita conjunxit *Carolus V. Imper. art 1. Const. suæ Criminalis*: Erstlich setzen/ ordnen und wollen Wir/ daß alle peinliche Gerichte mit Richtern/ Urtheil- und Gerichts-Schreibern versehn und besetzt werden sollen/ von frommen ehrbaren/ verständigen und erfahrnen Personen/ so tügendlichst und best dieselben nach Gelegenheit jedes Orths/ gehabt und zu bekommen seyn. Dazu auch Edele und
NB. Gelehrte/ gebraucht werden mögẽ. Zu dem allen eine jede Obrigkeit
NB. möglichen Fleiß anwenden soll/ damit die peinlichen Gericht zum be-
NB. sten verordnet / und niemand Unrecht geschehe / als denn zu diesen grossen Sachen/ welche des Menschen Ehr/ Leib/ Leben und Gut belangen/ tapffer und wolbedachter Fleiß gehöret. Darumb deñ in solcher überfahrung niemands mit rechtmässigen verträglichen Grund seine Verlässung und Hinlässigkeit entschuldigen mag/ sondern billich derhalb/ vermöge dieser Ordnung gestrafft. Daß also alle Obrigkeit/ so peinliche Gerichte haben/ hiemit ernstlich gewarnet seyn sollen/ ꝛc Sed qvàm benè hic articulus primus observetur, experientia, proh dolor testatur, dum in oppidis sæpe per homines literarum atq; negotiorum criminalium planè non expertos, in pagis per rusticos, aut aliàs indoctos criminalia expediuntur. Judicis Criminalis juramentum vide *artic. 3. Crimin. Constit.*

Sed porrò ut pergamus, qvia usu sæpè venire solet, ut habens
46 merum imperium id aliis deleget, ac sic per alios id expediat, qværitur, an hoc jure qvis facere possit; Et jure civili qvidem expeditum est, merum imperium aliis mandari & delegari non posse, qvia specialiter beneficio principum vel legum tribuitur, qvalia mandari & de legari non possunt, *l. 1. ff. de offic. ejus cui mand. jurisd. l. nemo potest 70. ff. de R. I.* Unde seqvitur si crimen non sit capitale

tale nec pœna corporis afflictiva, cognitionem super tali crimine sine omni scrupulo alii, capaci tamen, delegari posse.

Sed in causa sanguinis judex ordinarius & præcipuè Nobiles habentes merum imperium, ipsi debent capitali judicio præsidere *d. l. 70. & art. 2. Ordin. Crim.* ubi ita Imperator ait; Welche Personen von ihrer Güter wegen/die Peinliche Gerichte zubesitzen schuldig seyn / und dasselbe aus Schwachheit oder Gebrechligkeit ihres Leibes / Vernunfft / Jugend/ Alter/ oder anderer Ungeschickligkeit halben/nicht besitzen oder verwesen mögē/so offt das aus Noth (NB) geschicht/ soll der oder dieselbige andere tügliche Personen zu Besitzung des peinlichen Gerichts an ihre Statt ordnen und bestellen/mit Wissen und Zulassen desselben Ober- Richters. Ex qvo apparet, citra casum necessitatis qvemlibet nobilem vel alium judicem ipsum præsidere debere judicio criminali, *Clarus §. fin. qvæst. 41. Matthias Steph. ad dict. artic. 2. Petrus Gilken. ad. l. placet. C. de Pedan. judic. num. 19.* & alii. 47

Sed excipiuntur in jure aliqvot casus. 1. Princeps causas meri Imperii delegare potest, *l. fin. pr. C. ubi Senatores vel Clarissimi. Pruckman. l. 2. cons. 4. num. 3.* 48

2. Excipitur causa absentiæ, *l. 1. pr. ibi si abesse cœperit. ff. de offic. ejus cui mandata jurisd.* Ob qvam causam non qvidem ipsum Imperium merum, sed cognitio de crimine mandari poterat. Vid. *Hill. in Donell. lib. 7. c. 8. lit. Dd.* 49

3. Excipitur morbus Sonticus, *per l. qvæsitum. 60. ff. de Re jud. Bart. & Jason in d. l. 1. ille n. 11. hic n. 77. & de Art. 2. Constit. Crim.* 50

4. Excipitur, qvi propter ætatem juvenilem, aut decrepitam, vel mentis impotentiam, & similem defectum, causis criminalibus præsidere neqvit, *d. art. 2.* Sed jus Carolinum reqvirit concessionem superioris, qvæ tamen de consvetudine non reqviritur *P. Busius ad d. l. 1. ff. de Off. ejus cui mandata &c.* Conf. *Gudelinus de jure Novissimo l. 5. c. 13. in fin. GronWegen. in abrog. legibus ad l. 3. de jurisd.* 51

5. Aliqvi Jure canonico causas criminales delegari posse existimant, *per c. in Archiepisc. X. de Raptor. c. licet. X. de officio Vicarii. c. cum Episcopus. X. de offic. Ordinarii.* Sed rectius sentiunt *Didacus Covarr. lib. 3. var. Resol. cap. 20. & Petrus Gilken. qvi d. l. num. 26. & . 5.* tribus in casibus id tantum admitti, 1. qvando à sum- 52

mo

mo Principe fit delegatio, de qvo casu supra exceptione primâ. 2. Si ab Ecclesiasticis esset inferenda pœna sanguinis, tunc enim coguntur hoc aliis committere. *c. fin X. ne clerici vel monachi secular. negot. l. 6.* 3. Si Episcopus Vicarium constituat, *c. pen. X. de offic. Vicar.*

53 Qvicqvid sit de Jure Canonico, seqvimur hoc in puncto jus Civile, ut in terminis *Pruckmanus* habet, *vol. 2. cons. 4. num. 12.* nam ratio, cur Jure Canonico causa meri Imperii sit delegabilis est hæc, qvod Jure Canonico pœna sanguinis non inferatur, qvæ ratio in foro civili non militat, *Pruckm. d. cons. 4. n. 13. & seq.*

54 Sed in iis casibus, in qvibus delegatio causarum criminalium licita, duo videntur reqviri: 1. ut delegatio fiat cum consensu superioris, per expressa verba *dicti artic 2.* Mit Wissen und Willen desselben Ober-Richters/ qvod non observari volunt, qvod tamen tutius observaretur. 2. Ut non delegetur universitas Causarum criminalium, sed tantum singulæ causæ, *Bart. Bald. nec non Angelus in d. l. ff. de offic. ejus cui mand. &c. Salyc. in l. placet. 2. n. 25. C. de pedan. judic. qvos ibi d. l. Gilken. num. 24. refert.* Hodie tamen sæpe universitatem causarum delegari vidimus 1. in Monasteriis, vel si qvis Baro aut Dominus habeat territorium, aut si nobiles plures alicubi habeant jurisdictionem, & constituant Administratorem justitiæ einen Gerichtshalter/ &c.

55 De prorogata jurisdictione, ut aliqvid addam, licet communiter Dd. existiment, jurisdictionem criminalem prorogari posse, per allegata *Clari §. fin. qvæst. 42. n. 1.* Ubi tamen proceditur per inqvisitionem, non habet locum prorogatio juxta *Baldum in l. 1. in fin. C. ubi de crim.* Sed distinguendi duo casus 1. aut Judex nullam in eo crimine, cujus pœna est sanguinaria, habet jurisdictionem, & sic qvod non est, prorogari neqvit: 2. Aut habet qvidem jurisdictionem, sed non in eam personam, ob ejus privilegium, & tunc si captus sciat, ipsum esse incompetentem, & tamen respondeat, prorogavit jurisdictionem, nisi à Superiori impediatur, aut ea prorogatio tendat in ignominiam Ordinis privilegiati *c. si diligenti X. de foro comp. Ant. Matth. lib. 13. cap. 5. n. 16. Ummius d. 4. th. 17. num. 40.* Conf. *Berlich. p. 1. concl. 4. n. 17. & seqq.*

56 Hactenus de causis principalibus exercentibus officium judicis in inqvirendo, jam de Ministris agendum paucis. Inter Ministros

niſtros autem erant 1. delatores publici, qvi officii neceſſitate delicta denunciabant, *l. divus 6. ff. de Cuſtod. & exhib. reorum. l. ab accuſat. 6. §. 3. ff. ad SCtum Turpill.* Qvi Irenarchæ appellabantur. *l. ult. §. Irenarchæ 7. ff. de mun. & honor. l. un. C. d. Irenarch. lib. 10.* Sed hoc genus officialium in deſuetudinem abiit, cum magna juſtitiæ jactura.

Deinde inter miniſtros Judici neceſſarios numerantur etiam 57
Actuarii, Notarii, Scribæ, Exceptores ſeu Amanuenſes, qvi dicta actavè excipiunt, & inqviſita, omniaqve acta judicialia bona fide deſcribunt, *c. qvoniam contra 11. X. de probat.*

Qvocirca pro magnitudine & pondere ſeu dignitate negotii 58
perſonarum habeatur delectus, & eligantur ii, qvorum explorata eſt diligentia, fides vel capacitas pro negotio expediendo, *Matth. Stephan. ad art. 5. Conſtit. Crimin.* qva in parte mirari ſæpe cogor multorum negligentiam, & in re tam gravi inexcuſabilem oſcitantiam, qvi negotium illud omnium maximè arduum hominibus indoctis atq; inexpertis ſæpe commendant ac committunt.

Sunt etiam miniſtri judicii criminalis inqviſitorii ii, qvos in- 59
ſtigatores ſeu promotores inqviſitionis appellant. Et illi in triplici ſunt differentia. Alii enim id faciunt neceſſitate officii, ut irenarchæ, de qvibus ſupra, item advocati & procuratores fiſci, qvi inſtare ſolent, ut judex contra delinqventes inqvirat; Alii faciunt id ex commiſſione judicis, qvi ſolet eligere aliqvem, qvi loco Fiſcalis adſiſtat inqviſitioni. Demum aliqvi id faciunt ſpontè, dum comparent in judicio, & ſubminiſtrant teſtes & indicia contra reos inqviſitos, *Clarus §. fin. qvæſt. 10. num. 3.*

CAPUT IV.

De

CAUSIS IMPULSIVIS INQVISITIONIS.

SUMMARIA.

1. Qvid impellere debeat judicem ad inqvirendum? n. 1.

2. An ſine omni conjectura inqvirere judex poſſit? N. n. 2.

Qvan-

QVandocunqve judex vult procedere inqvirendo ex officio, non debet id proprio impulsu facere, sed debet aliqvid præcedere, qvod aperiat viam inqvisitioni, & judicem ad inqvirendum inducat, & qvodammodo ex necessitate officii impellat, *Clarus §. fin. qvæst. 5. num. 4.* 1

Ideoqve non debet judex facile atqve incautè absqve omni, qvali qvali etiam conjectura & præsumtione, inqvisitionem accedere, qvod illa præsertim, qvando apparet contra qvem dirigenda sit, famam inqvisiti apud honestos viros minuat & lædat, *Jac. Menoch. lib 1. de præs. qvæst. 88. num. 9. & seq. Cothm. vol. 3. consil. 30. n. 155. & hos citans Carpzov. in sua pract. Crimin. qvæst. 108. n. 62.* Et inqvisitio formata sine præcedentibus indiciis, ipso jure nulla est, *Farinac. lib. 1. qvæst. 1. num. 40.* Sed aliud in generalissima inqvisitione, ubi judex metuens ne Zizania seminet Satan, subinde solicitus est & inqvirit in mores. 2

E contrario autem, si indicia vel causæ impulsivæ adsint, & tamen judex processum Inqvisitionis instituere neglexerit, tenetur etiam de syndicatu, ut supra diximus. 3

Inter eas autem causas impulsivas, qvæ judicem movent ad inqvirendum *prima* est, qvando de corpore delicti constat & delictum est notorium, *Clarus §. fin. qvæst. 9.* 4

Notorium autem est, qvod ita per evidentiam rei probatur seu conspectui & visui hominum præbetur, ut nulla tergiversatione celari possit, *Scacc. de judic. caus. civ. & crim. cap. 76. num. 4.* Qvamvis qvid sit Notorium potius arbitrio judicis committendum *Menoch. l. 2. Arb. qvæst. casu 166. n. 7. Oldekop. obs. crim. in tit. 2. obs. 14.* 5

Sed dicat aliqvis, qvando delictum est notorium, publicè etiam cognitus autor delicti, cur attinet ulterius inqvirere, præsertim cum *Clarus d. qvæst. 9. n. 1.* dicat: in notorio crimine judicem juris ordine non servato, non tantum ad inqvirendum, sed etiam ad condemnandum & executionem procedere posse; Sed resp. utut crimen sit notorium, nihilominus assumendæ sunt judici informationes, tàm de delicto, qvam de delinqvente, eæq; redigendæ sunt in scripturam, nam si postea negetur fuisse delictum notorium, hoc ipsum ex actis poterit in continenti probari, nec timere 6

mere necesse habebit judex periculum Syndicatus, *Clarus d. q. 9. n. 5. Scaccia d. qvæst. 67. n. 8.* Et si notorium sit crimen, Autor potest esse ignotus, aut, si hic uotus, causa est incognita vel ejus defensio. Ideoq; recte monet *Dn. Oldekop. dicta obs. 14. n. 8.* non posse in his negotiis judicem procedere, juris Ordine non servato, nisi satis intelligat inqvisitum omnibus defensionibus destitui. Et licet judici sit notorius Author delicti, super ipsa tamen notorietate testes examinandi, præsertim qvando est facti transeuntis *Mascard. de probat. concl. 1108. n. 7.* qvi debent causam allegare, cur habeant pro Notorio, *Masc. concl. 1110.* nec placet cautela, qvod testis debeat interrogari, qvid sit Notorium.

7 *Secunda* causa inqvisitionis suscipiendæ est, qvando qvis in flagranti crimine deprehensus est. Nam tunc sine ulla denunciatione vel qverela partis judex potest procedere ad inqvirendum, ut tradit *Clarus qvæst. 8. num. 1.* Scilicet super facti qvalitatibus, & rei defensionibus, licet defensio elucescere videatur.

8 *Tertia* causa impellens judicem est, qvando ipse judex videt ab aliqvo maleficium aliqvod committi. Nam licet judex, qvi secundum acta & probata judicare tenetur, hoc Casu reum condemnare non possit, potest tamen ad inqvirendum procedere, per tradita *Clar. d. qvæst. 8. num. 5.*

9 Et multo magis judex potest inqvirere, qvando coram judice in judicio delinqvitur: v. g. in calumniatorem, *l. 1. C. de Calumniat.* falsum testem, *l. nullum C. de testibus* falso utentem instrumento, *l. pen. C. de probat.*

10 *Qvarta* causa impulsiva fama est seu diffamatio, qvæ loco accusatoris est, *Clarus qvæst. 6. num. 1. Farin. lib. 1. qvæst. 1. num. 50. qvi plures citat*, adeo ut inqvisitio suscepta non præcedente fama sit ipso jure nulla, *Farinac. lib. 1. qvæst. 9. num. 1. ubi in seqq.* reqvisita famæ tradit: Das gemeine Geschrey/ so wider einem oder dem andern im Lande erschallet/ Beweiß genug denselben anzugreiffen und einzuziehen seyn soll. *sunt verba conventionis inter Sereniß. Elect. Brandeb. & Duces Pomer. & Megapol.*

11 Sed non existimandum est, qvo in errore nonnunqvam sunt nonnulli patroni reorum, qvasi fama cum suis reqvisitis sit necessarium reqvisitum inqvisitionis.

Nam

Nam notandum eſt, famam non eſſe unicam aut ſolitariam 12
cauſam impulſivam inqviſitionis, qvia poteſt alia cauſa judicem impellere ad inqvirendum v. g. delatio partis læſæ, honeſtæ ac fide dignæ vel publicæ Perſonæ, vel aliæ cauſæ, de qvibus poſtea. *Boſſius tit. de Inqviſit. n. 9. & num. 27. Petr. Heigius part. 1. qvæſt. 39. num. 32.*

Ideoq; recte *Clarus qvæſt. 6. num. 8.* & ex eo *Farinac. d. qvæſt. 9.* 13
num. 21. notant, ſolennitatem diffamationis ab aula receſſiſſe. qvos ſeqvitur *Benedict. Carpzov. part 3. Pract. Crim. qvæſt. 108. n. 52.* & ad generalem inqviſitionem etiam ſine ulla diffamatione judicem pervenire poſſe, monet *Farin. d. q. 9. n. 18. & num. 20.* notat, ſi indicia alia adſint, ea fortiora eſſe ipſa diffamatione. Et Doctores qvi reqviſita famæ urgent, de ſpeciali inqviſitione loqvuntur, & ex inqviſitione generali deprehenduntur reqviſita famæ, an adſint, an non.

Sed qværitur, ſi nullum aliud indicium delicti ſit præter fa- 14
mam & de famæ autore, qvod vir honeſtus ſit, non conſtet, an ex tali fama judex procedere debeat ad inqvirendum? Reſp. qvando modica fama eſt & rumor potius, eaq; non probetur traxiſſe originem ab honeſtis viris, tunc omninò perveniri poteſt ad inqviſitionem generalem, ita ut teſtes ſuper fama delicti interrogentur, & de autore delicti, modò nemo nominetur, ſed in genere de delicto, ejusq; autore inveniendo agatur. Nam qvam diu in generalibus manet judex, ad nullius iujuriam ſpectare ſidetur inqviſitio. *Clarus d. qvæſt. 6. num. 4. Boſſius in tract. Crimin. tit. de inqviſit. num.* 38. Ideò enim inſtituenda eſt inqviſitio generalis, ut de fama, an conſtans ſit, & qvem habeat autorem, appareat.

Nam concedunt omnes, in generali inqviſitione teſtes etiam 15
ſuper fama interrogandos, & de fama inqvirendum eſſe: qvorſum autem inqvireretur de fama, ſi jam antea de fama ejusq; qvalitatibus appareret?

Qvando igitur rumor aliqvis de delicto præſertim graviori 16
ad aures judicis defertur, præſertim ſi id ſæpius fiat, & clamoſa inſinuatio ſubſeqvatur, non debet hoc judex negligere, ſed in famæ originem & cauſam inqvirere, ut ſuo loco fuſius docetur.

Qvinta cauſa impulſiva inqviſitionis eſt qverela partis læſæ 17

 ſeu

ſeu offenſæ, qva præcedente, judex ſtatim informationes ex officio adſumit *Clarus §. fin. qvæſt. 10. n. 1. Cothman. vol. 4. reſp. 30. n. 109. Farinac. d. qvæſt. 9. num. 1.*

18 Et hæc qvidem adeo vera ſunt, ut, ſi pars læſa, v.g. vulneratus, in qverela ſua nominaſſet certum delinqventem, judex ſtatim ſine præmiſſa inqviſitione generali ad ſpecialem pervenire poſſit, juxta tradita *Scacciæ lib. 1. de judic. cauſ. civil. crim. c. 73. n. 2.*

19 Sed ſi delinqventem certum non nominaſſet, generali ſaltem inqviſitioni viam aperuiſſet, *Scaccia. d. l.*

20 Qvod autem nonnulli putant, qvando pars offenſa qverelam defert ad Magiſtratum, qvod tunc illa pro accuſatore habenda, & proceſſus ſit ordinarius, aut certe tertium qvoddam genus proceſſus, nec judicem ex officio iſto caſu procedere poſſe: id rectè reprobat refutatqve *Dn. Carpz. d. qvæſt. 108. n. 54.*

21 *Sexta* cauſa eſt denunciatio, ſi qvis denunciet judici, delictum eſſe commiſſum. Eſt enim denunciatio notificatio maleficii commiſſi: Et eſt triplex: alia *Evangelica*, juxta *c. ſi peccaverit C. 2. qvæſt. 1.* & dirigitur ad correctionem; alia *Canonica*, qvæ dirigitur ad agendam pœnitentiam; alia *Judicialis*, qvæ fit ob pœnam. Eſtq; vel publica vel privata, illa ad pœnam Reip. pendendam, hæc ad damna parti ſarcienda.

22 *Publica* denunciatio, de qvâ hoc loco agimus, eſt vel *generalis*, in qva nullus certus nominatur delinqvens, ſed tantum delictum exprimitur; vel *Specialis* in qva certus delinqvens exprimitur, *Scaccia. lib. 1. de jud. cap. 71. num. 2.*

23 Specialis autem denunciatio reqvirit, 1. ſcripturam 2. expreſſionem delicti, 3. nomen delinqventis, 4. nomen denunciantis, ut conſtet non eſſe famoſum libellum, & poſſit, ſi calumniator deprehendatur, puniri. Et ut poſſit conſiderari perſona, an ſit integræ famæ & fidem mereatur *Oldek. tit. 2. obſ. 19.* & hoc extenditur, licet nominentur teſtes de facto informati *Clarus §. fin. 95. n. 4. Oldek. d. l.* qvo tamen caſu judex examinare teſtes, qvaſi in authorem ſchedulæ, poſſet, qva occaſione conſtare poſſet de delicto. An autem juramentum calumniæ denuncianti deferendum, annon, judex diſpiciet, vide *Scacc. d. l.*

24 Sed poſtqvam denunciatum eſt in genere, delictum eſſe commiſſum,

missum, prius est inqvirendum de corpore delicti (qva de re postea suo loco) & reperto delicto, inqvirendum in autorem delicti, si delictum facti *permanentis*: nam si delictum facti *transeuntis*, sufficit si judex statim inqvirat in delinqventem, nam ex informatione hac patescit veritas delicti, cum talia delicta aliter probari vix possint, vide *Scacc. n. 3.*

Distincta autem hæc causa est à præcedente, qvia qverela illa, 25
de qva in causa præcedenti dicebatur, profertur à parte læsa, denunciatio autem, de qva hoc loco, ab officiali vel alio fit privato, etiam non læso, sed tertio.

Sed qværitur: an omnes denunciare possint, etiam qvi ab ac- 26
cusando aliàs repelluntur? Et *Aff. Clarus qvæst. 7. num. 2.* cum ipsi homines qvi officii ratione vel lucri causa denunciant, ut plurimum personæ pauperes & viles esse soleant. Et tales denunciatores, si ratione officii denuncient, non præsumuntur calumniari, licet absolvantur rei, sed si voluntariè id faciant, præsumuntur calumniari, nisi causam denunciationis probabilem possint probare; vide *Clarum d. qvæst. 7. num. 12.*

An verò qvilibet teneatur compertum crimen denunciare 27
qværitur. De perduellione res certa *l. 6. C. de Crim. Majest.* Idem tunc faciendum, qvando aliàs pereundum esset innocenti. Et si qvis occisus, ad minimum denunciare debet hæres cædem Magistratui, cum oblatione expensarum, si hæreditas ampla *ob SC. Silan. & ibi Struv. th. 50. Wissenb. th. 8.* Itidem si magnum furtum factum, & res domino restitui possit. Et generaliter, tunc facienda est denunciatio, si Resp. vel privatus non facta denunciatione damnum grave incurreret; & maxime in casu homicidii, ut Terra expietur, & non innocens in inqvisitionem veniat: Si vero qvis falsò denunciet, ad damna sarcienda & de falso tenetur, *l. 6. §. fin. ad Turpill. Farin. q. 16. num. 15.*

Septima causa ad inqvirendum est confessio socii criminis, 28
qva is confitetur alium fuisse criminis sui socium. Nam qvamvis nemo de socio regulariter interrogandus sit, *l. f. C. de Accusationibus*, nisi in criminibus exceptis, aut iis criminibus, qvæ regulariter sine sociis patrari non possunt, *Ant. Gometz. lib. 3. resolut. c. 12. num. 16. Clarus §. fin. qvæst. 21. num. 3.* Si tamen in casibus permis-

sis

ſis ſuper ſociis fuerit interrogatus facinoroſus, indicium is faciet ad inqvirendum. *Clarus d. qvæſt. 21. num. 4. Sigism. Scaccia lib. 1. de judic. c. 81.* Si ſcilicet renunciatus talis perſona ſit, in qvam ſuſpicio criminis cadat. Et ſi etiam confeſſus de tali re, qvæ in oculos incurrit. (Sed qvando confeſſus garrit de præſtigiis Satanæ, recta ratio docet talem confeſſionem ad inqviſitionem, niſi alia indicia concurrant, nõ ſufficere. Sic Veneficæ ſolent confiteri qvod hunc vel illum in Conventu in Monte Bructero, vel in Baptiſmo ſuo viderint in hac vel illa ſplendida veſte, vel hirco inſidentem, vel ſaltantem, qvis ſanæ mentis homo, aut qvi aliqvem uſum ſenſus communis habet, poterit huic confeſſioni credere de aliis, niſi alia adſint.) Sed an ad torturam faciat indicium, alterius eſt loci. Hoc enim loco tantum de Inqviſitione ſuſcipienda agimus.

29 *Octava* cauſa inqviſitionis formandæ eſt, qvando aliqvis ipſe extra judicium fatetur delictum. Nam tunc ſufficientem cauſam habet judex inqvirendi, *Clarus d. q. 21. n. 31.* ubi etiam cauſam ſufficientem torturæ eſſe ait, qvod etiam probatur per *art. 32. Ord. crimin.* ibi: So einer &c. genungſam überwieſen wird/daß er von ihm ſelbſt Ruhms oder andere Weiſe ungenötigter Ding geſagt hat/ &c.

30 Huc pertinet etiam confeſſio Rei coram judice incompetente *Clarus d. qvæſt. 21. n. 32.* nec non confeſſio Rei coram competente judice, ſed tanqvam coram privato & extra locum judicii, & non apud acta, *Clarus d. l. num. 35.*

31 Semper tamen hæc intelligenda ſunt, niſi poſtea errorem allegaverit & probaverit reus. Nam errore confeſſionis probato, ceſſat præſumptio ex confeſſione nata.

32 *Nona* cauſa impulſiva inqviſitionis eſt, ſi in cauſa civili civiliter intentata, per modum exceptionis vel replicæ, actori vel reo vel teſti crimen objiciatur. Tunc enim judici, ſi judex competens ſit, via aperitur ad inqvirendum, *Clarus qvæſt. 19. Scaccia dict. lib. 1. cap. 74. & ſeq. Heig. part. 1. qvæſt. 39. num. 40.* ubi exemplo id declarat: Si reus contra actorem utentem inſtrumento, opponat exceptionem inſtrumenti falſi. Ubi tamen diſtingui poteſt, utrum reus actori crimen objiciat per modum reconventionis, & tunc inqviſitioni vel proceſſui criminali locus, etiam anteqvam civile judi-

judicium absolvatur *l. fin. C. de Ordine judic.* an vero per modum exceptionis, & tunc judicis arbitrio committendum, an prius de crimine qværere; an verò utrumqve judicium una sententia terminare velit *l. pen. C. d. t.*

Decimam causam inqvisitionis constituunt minæ præcedentes delictum. Nam si minas seqvatur effectus, judicem hæc movebunt ad generalem non tantum, sed & specialem inqvisitionem contra comminantem formandam, *Clar. d. q. 21. num. 37. Damb. in Praxi rer. crim. c. 10. n 20.* Imò ex minis interdum etiam indicium ad torturam oriri potest, juxta *art. 32. Ord. Crim.* de qvà tamen hîc non agimus. 33

Undecimam causam constituit cum malis conversatio, *arg. l. si plures. c. 3. §. 2. ibi: sollicitè curare qvaliter conversetur. ff. de Admin. tutor. l. ædiles 25. §. hoc autem 6. ff. de ædil. edicto. Dambud. d. c. 10. n. 3.* 34

Duodecimam causam constituit inventio rei furtivæ *Clarus d. q. 21. in fin.* Imò interdum concurrentibus aliis etiam hæc unica causa ad torturam sufficere potest, *per art. 43. constit. crim.* nedum ad inqvisitionem, si scil. autorem nominare non possit, *l. civile. 5. C. de furtis. & in dicta convent. Principum. §.* Zum Beweiß des Raubes sol dieses genug seyn / da bey jemand Güter oder Geld / so geraubet / befunden würden / und er seinen Gewehrsmann / von deme er solche an sich bracht / nicht anzeigen könte oder wolte / *idq; in Const. crimin. artic. 38. habetur his verbis:* Item: So erfunden würde / daß iemand der Güter / so geraubt sind / bey ihm / oder dieselben verkaufft / übergeben / oder in anderer Gestalt damit verdächtlicher weise gehandelt / und seinen Verkauffer und Wehrmann nicht anzeigen wolt / der hat ein redliches Anzeigen solches Raubes halben wider sich / dieweil er nicht ausfündig macht / daß er nicht gewust / daß solche Güter geraubet seyn / sondern die mit einem guten Glauben an sich gebracht habe. 35

Decima tertia causa ex fuga alicujus, per tradita *Clar. d. q. 21. n. 18. Menoch. lib. præsumt. qv. 88. n. 21. Farin. l. 1 q. 48. n. 20.* adeo ut ex fugæ sive jam arreptæ sive præparatæ indicio etiam ad capturam pervenire qveamus, *Farin. l. 1. tit. 4. qv. 27. n. 131.* Imò etiam ad torturam, *Farinac. d. n. 20. Carpz. qv. crim. 111. n. 35. & alii.* Semper tamen debet certum esse delictum, & alias circumstantias concurrere opus est *Carp. pract. crim. q. 120. n. 62. & seqq.* Ideoqve super fuga informatio prius suscipienda. 36

37 *Decima qvarta* causa viam aperiens inqvisitioni est inimicitia gravis, scil. qvæ inter offensum & inter inqvirendum intercessit, adeò ut hoc casu statim ad specialem inqvisitionem venire qveamus, *Clarus d. qvæst. 21. n. 20. Farin. l. 1. qv. 49. n. 105.*

38 *Decima qvinta* causa est transactio cum parte offensâ; nam sive delictum sit tale, super qvo transigi possit, sive non sit, resultat tn. exinde præsumtio saltem ad inqvirendum, *Clarus d. q 21. n. 38.* confer tradita *Farin. q. 5. n. 18. & seq.* qvi qvidem de tortura loqvitur, sed in fortioribus terminis ea ad inqvisitionem accommodari possunt. Notanda enim regula: *qvæcunqve indicia in constitutione criminali ad torturam sufficientia judicantur, ea multo magis ad inqvisitionem sufficiunt,* argumento ducto à minus probabili ad magis probabile.

39 *Decimam sextam* causam præbet vitæ genus. Ex hoc enim, qvod eqvites peditesve in cauponis publicis freqventius diversentur, contra eos oritur præsumtio sufficiens ad inqvisitionem. Ita enim Imper. Car. V. *in Ord. crim. art. 39.* Item: So Reisige oder Fußknechte gewöhnlich bey den Wirthen liegen und zehren/ uñ nicht solche redliche Dienste/ Handthierunge oder Gülte / die sie haben/ anzeigen können / davon sie solche Zehrung ziemlich thun mögen/ die sind argwöhnlich und verdächtlich zu vielen bösen Sachen/ und allermeist zur Rauberey / als sonderlich aus unserm / und des Reichs gemeinen Land-Frieden zu mercken/darinnen gesetzt ist/daß man solche Buben nicht leiden/ sondern annehmen/härtlich fragen/um ihre Mißhändel mit Ernst straffen soll. Deßgleichen sol eine jede Obrigkeit auff die verdächtigen Bettler und Landfahrer auch fleißiges Auffsehens haben. Idem habetur *in dicta conventione Seren. Elect. & Princip.* h. v. Jmgleichem/ so reisig Gesindlein/oder auch Fußknecht in Wirthshäusern lägen und zehrten/und doch ihre redliche Dienste/ Hanthierunge oder Gewerb nicht anzuzeigen wüsten: vermittels welcher sie solche Zehrung treiben könten: Die haben wider sich einen gnugsamen Verdacht. Mögen darum Jnhalt des Reichs publicirten Land-Friedens wohl angenommen/ nach der Schärffe befraget/und nach Befinden mit Ernste gestrafft werden. *Conferantur ea, qvæ habentur* in Käyserlichen Land-Frieden/ *an. 1548. tit.* von den Herren-losen Knechten / *&c. & in Recessu Imperii* zu Augspurg/ *anno 1551.* §. Nach dem auch hin und wieder / etc.

Qvod

Qvod de mendicis in *d. art.39.* habetur, id de Cingaris (von den Ziegainern) intelligendum esse nemo dubitat, secundum Re- 41
mum *in d. §.39.* huc pertinet etiam illud, qvando qvis prædonibus hospitium præbet, & multum cum ipsis conversatur, juxta *artic. 40. Ordin. Crimin.*

Decima septima causa est habitus corporis alicujus personæ, v. g. si puella uterum solito majorem habuerit, & uterus subito de- 42
creverit, pallorqve faciei atqve virium imbecillitas subsecuta sit, debet judex ulterius inqvirere, juxta *artic.35. Ordin.Crim.* So man eine Dirne/so für eine Jungfrau gehet/in Argwon hat/daß sie heimlich ein Kind gehabt und ertödtet habe/ soll man sonderlich erkundigen/ ob sie mit einem grossen ungewöhnlichen Leibe gesehen worden sey; Mehr/ ob ihr der Leib klein worden/ und darnach bleich oder schwach gewest sey: So solches und dergleichen erfunden wird/wo denn die selbe Dirne eine Person ist/ dazu man sich der verdachten That versehen mag/soll die durch verständige Frauen an heimlichen Stätten/ als zu weiterer Erfahrung dienstlich ist/ besichtiget werden/ rc. *ubi in seq. art. Imp. ait:* Mammillas puellæ ab obstetrice contrectandas & tentandum esse, an lac exprimi possit.

Sed Magistratus rarò hæc curare, sed ferè talia negligere solent. Præsertim si sit persona honoratior. Cujus rei rationem red- 43
dent illi, qvi nullius personæ respectum habet. Atqve hæ sunt potissimæ causæ impulsivæ, qvæ judicem ad inqvirendum impellere possunt.

CAPUT V.

De
CRIMINIBUS, IN QVIBUS LICITA EST INQVISITIO.

SUMMARIA.

1. *An de omnibus criminibus inqvirendum. n.1. & n.2. & 3.*
4. *De delictis contra primum præceptum Divinum.*
5. *De delictis contra secundum.*
6. *Contra tertium.*
7. *De delictis contra qvintum.*
8. *De Crapula in specie.*

9. De crimine stellionatus.
10. De falsis ponderibus & mensuris.
11. De Usuraria pravitate.
12. De Injuriis.

1 QVamvis inter JCtos non benè conveniat, utrum regulariter Jure Civili de omni crimine, an verò de certis criminibus inqvirere judici liceat, qvorum illud defenderunt *Salycetus in l. ea qvidem. C. de Accusat.* & præprimis *Gometz. tom. 3. resolut. cap. 1. n. 49. versic. nono & finaliter dico.* Ubi hanc sententiam aliqvot argumentis firmat, qvos cum aliis laudat *Petr. Heigius part. 1. q. 39. num. 7. & seqq.*

2 Inter omnes tamen fere convenit, hodie consvetudine in omnibus delictis posse judicem inqvirere. De qva consvetudine passim Dd. testantur, qvorum longam seriem compilarunt, calculo etiam suo addito *Farin. lib. 1. qvæst. 1. num. 10. Heig. d. l.* & alii: modo crimen sit magnum & scandalosum, per qvod Reip. tranqvillitas turbetur, *argum. l. levia 6. ff. de Accus. c. inqvisitionis 21. de Accusat. Boss. in praxi rerum crimin. cap. 8. num. 7. Bened. Carpzov. qvæst. 107. num. 23. & seqq.*

3 Verum re exactius pensitata, omne qvod ullâ lege prohibitum, & contra legem factum, in inqvisitionem venire, verissimum est. Nam 1. Leges prohibentes delictum, non debent destitui executione, nam regula est JCtorum: Ubicunqve factum est prohibitum, pœna autem non est expressa, arbitrio judicis committendam esse pœnam. Aut igitur Lex prohibens pœnam exprimit, & exeqvenda ea est, utiqve non sine inqvisitione & cognitione causæ præcedente. Aut non exprimit pœnam, & judex eam arbitrabitur præcedente cognitione causæ. 2. Magistratus est custos utriusqve Tabulæ Legis Divinæ, Ergò delicta omnia per inqvisitionem in lucem protrahenda. Et 3. qvis tandem de delictis (ut loqvuntur) levioribus cognoscet & ea puniet? Si accusatorem reqviramus, qvis in his accusator erit? cum vel in majoribus delictis omnes accusatoris munus, imo testis etiam declinent. Ergo si non inqvirendum judici, pœnam horum delictorum DEO committendam esse seqvitur. Interim ea delicta impune grassari patimur, donec DEUS mensura peccatorum impleta panolethriam justo judicio inducat.

Nos

Nos igitur hoc loco non adducemus exempla criminum atrociorum; sed eorum, qvæ leviora videntur, exemplis hanc regulam declarabimus, de qvibus dubitatio judici obrepere posset. 4
Primo loco videamus de Delictis contra primum Præceptum. Hic se offert superstitio. Qvis judex super hac inqvirit? Sane in Actis referuntur sæpe facta superstitiosa, sed non propter se, sed propter Magiam Diabolicam, ut ejus argumenta, unde fit, ut si fœmina à crimine Magiæ absolvatur, ob superstitiosa tamen facta condemnetur arbitrariè & extraordinariè. Sed hæc per accidens & præter intentionem Magistratus consulentis fiunt. Aliæ superstitiones impunè & publicè grassantur, qvod vel solo exemplo confirmare possumus, qvod venæ eqvis die S. Stephani secari soleant publicè sine omni metu. Qvid dicam de Virga Mercuriali, Wünschruthen/ ꝛc.

Secundo in Præcepto occurrit 1. Blasphemia, de qva interdum, sed rarius inqvisitiones institutas scio. 2 Perjuria. 3. Maledicta per Sacramenta Salvatoris, per ejus vulnera, per tonitrua, fulmina, grandines, imò per hostem Generis Humani ipsum Malignum Spiritum. Qvis super his inqvirit? Nemo. Impunè hæc crimina horrenda grassantur. Fortè levia hæc judicantur. Sed is omnem rationem exuisse videtur, qvi hæc levia judicaverit. Deus ergo qvia nos inqvirere nolumus, inqvirit, & pœnas exigit ab iis, qvi hæc crimina perpetrant, & qvi hæc grassari permittunt, aut qvi non omnibus modis impediunt. Ideoqve inqvisitio hujus criminis jubetur *Levit. 24. Nov. 77. c. 1. Ord. Polit. de anno 1548. §.* Welche aber obgemeldte Lästerung hören *& §. §. seqq. & de anno 1577. tit. 1.* ubi Pastores Ecclesiarum singulis diebus dominicis Christianum populum à blasphemiis dehortari jubentur. Huc etiam maledicta per Vulnera Christi, per Sacramenta, per tonitrua, per grandines exspumata. Si essemus non tantum nomine sed & re Christiani, in hæc Crimina diligentissimè inqvireremus. 5

In tertio præcepto est prophanatio Sabbathi, qvæ planè est impunita apud nos & publicè sine omni metu inqvisitionis grassatur, qvod vel solæ Tabernæ vinariæ & cerevisiariæ clamitant. Non opus hic inqvisitione, palam grassatur hoc scelus; imo & defenditur nonnunqvam, qvasi onera publica, qvæ super indixit 6

 vindi-

vindicta Divina, solvi non possint, nisi prophanetur Sabbathum, sic oleum affundimus restingvendo igni furoris Dei.

7 In Sexto (nam in qvarto & qvinto licet multa sint delicta impunita, impunitas tamen tam freqvens non est, qvamvis homicidia interdum omni studio dissimulentur & occultentur) super Adulteriis, Stupris & Fornicationibus inqviritur, sed raro, nisi in ipso propudioso facto deprehendantur. Judices se excusare solent difficultate, licet interdum tam sint manifesta delicta, ut nemo de iis dubitet, nisi solus judex, qvi adversus publicam famam obthurat aures. Et possent hæc Veneris sacra facile inqviri, si famulas tantum ex suspectis ædibus dimissas examinarent super fama & famæ origine.

8 Sed de Ebrietate & hujus causa, propinatione, vom Zutrincken hoc loco tantum agam. Qvod Edicta in Imperio publicata? In Recessu Colon. de anno 1512. hæc verba habentur: deßgleichen NB. wiewol das Zutrincken in vorgehaltenen Reichs-Tagen mehr denn einmahl höchlich verboten / ist es doch bishero wenig gehalten (hodie omnino non) vollzogen oder gehandhabet worden. Darumb und sonderlich dieweil aus den Zutrincken/ Trunckenheit/ aus Trunckenheit viel Gotteslästerung / Todschläge / und sonst viel Laster entstehen/ also daß sich die Zutrincker in Fährligkeit ihrer Ehren/ Seel/ Vernunfft/ Leibs und Guts begeben / so soll in allen Landen eine jede Obrigkeit/ Hoch oder Nieder/ Geistlich oder Weltlich/ bey Ihr selbst und ihren Unterthanen solches abstellen/ und das bey mercklichen hohen pœnen verbieten &c. in seqq. de Nobilibus & de inqvisitione Procuratoris fisci contra negligentes Magistratus agitur: In Reformatione Politica de anno 1430. in tit. von Zutrincken idem repetitur, ubi etiam refertur; qvod ex propinatione & crapula homicidia & adulteria seqvantur. Id qvod experimur in Collegiis Juridicis, ubi homicidia pleraq; ut & adulteria crapulæ ceu causæ transscribuntur. Et sæpe contingit, ut ex intempestiva misericordia horum tam grandium pœnæ ordinariæ prætextu ebrietatis remittantur & sceleribus provinciæ contaminentur. Idem reperitur in Ordinatione politica de Anno 1548. tit. vom Zutrincken/ & qvilibet Patresfamilias jubentur interdicere familiæ suæ maledicta & propinationes ac crapulas. Et subjungitur clausula, Wir wollen auch

daß

daß die Obrigkeiten ihren Pfarrherrn und Predigern befehlen sollẽ/ alle Sontage dem Volcke zu verkünden/ daß sie sich des Zutrinckens enthalten/ mit Erzehlung der Laster/ so aus der Trunckenheit folgen/ wie ihnen denn deßhalben von den Obrigkeiten ein Verzeichniß zugestellet werden soll. Et in Reform. polit. de anno 1577. §. von übermeßigen Trincken und Zutrincken. Et in fine jubetur, ut Magistratus Pastoribus Ecclesiarum injungant, ut hi singulis diebus Dominicis populum Christianum à nimio potu & propinatione nec non crapula dehortentur. Duo enim potissimum vitia in Recessibus Imperii exprimuntur qvorum semper die Dominica debebat fieri mentio: Blasphemia & Crapula. Videmus igitur, qvam soliciti Imperatores ac Principes toties pœnas dictaverint crapulæ, qvam serio munus inqvirendi & animadvertendi omnibus Magistratibus injungatur, ut admiratione dignum, qvomodo Magistratus rem tam necessariam neglexerint, ut hodie crapula sit impunita. Ideoqve hæc sola impunitas tot seculis continuata justa causa esse potest concatenatarum calamitatum Germaniæ; Divinæ vindictæ hoc crimen qvod per se est plusqvam belluinum, & aliorum scelerum Mater fæcundissima, committimus. Ergo non miremur Vindictam Divinam grassari in eos, qvorum scelera impunita & clamantia sunt. Causa autem cur Magistratus inferiores tam negligentes sint, inter alias, nî fallor, videtur esse hæc, qvod Magistratibus tam ruri qvam in urbibus interdum etiam cum jure prohibendi alios, concessum sit habere tabernas cerevisiarias & vinarias, ita crapula civium, vel rusticorum est Magistratus lucrum. Unde non prohibetur nec punitur crapula. Aliam rationem introduxit Belli calamitas, nam inqviunt nonnulli, si propinationes vini ac cerevisiæ ac crapulæ civibus interdicerentur, & hi propterea punirentur, œnopolæ ac cerevisiarii unde possent onera publica ferre; Ita Divinæ vindictæ crapulam opponimus, & igni affundimus oleum: nam propter ipsas has crapulas potissimum diebus Dominicis grassantes, & inde orta scelera, onera hæc nos premunt, & nos pabulum iræ Divinæ semper novum suppeditamus, errore maximo & toti Germaniæ funestissimo.

Seqvitur Septimum Præceptum: in qvo prohibentur præter 9
furta, in qvibus inqvirendis sat sumus alacres, crimina stelliona-

tus, qvæ palam ferè exercentur, varii doli, cautelæ, qvibus alios defraudamus, & emungimus, qvæ etiam impunitæ manent. Deprehenduntur ea, in contractibus sæpius. Extra ordinem ea omnia animadvertenda & adeo in lucem protrahenda esse, totus titulus de crimine stellionatus docet. *Decianus lib. 1. cap. 4. num. 8. & 9. Farin. qv. 19. n. 35. & seq.* Sed de his in judiciis altum silentium, nisi ea tam sint manifesta, ut oculos omnium feriant, sed nec tum ea solent facile puniri, nisi forte à peregrino committantur.

10 Falsa in Pondera nonnullis in locis inqviritur, alibi vero hæc negligitur cura, hinc variæ in ponderibus & mensuris fraudes, qvæ non inqvirimus, aliis gravioribus, ut putamus, negotiis districti.

11 In hoc etiam Præcepto deprehenditur & prohibetur usuraria pravitas, qvæ est crimen furto persimilimum, nisi qvod hoc fiat scienti, furtum ignoranti, & negari non potest esse hoc crimen magnum & furto simile *Maranta part. 6. speculi tit. & pervenitur aliqvando per viam inqvisitionis num. 111. Dn. Carpzov. part. 2. Pract. crimin. qvæst. 92. num. 1. & seq.* Et conqveritur *Marant. d. l. num. 124.* qvod suo tempore multum inoleverit usurariorum temeritas, & instigante Diabolo acrius exerceatur à nonnullis Christianis, (epicuri de grege) qvam à Judæis & infidelibus. Et Jure Canonico crimen hoc esse negari non potest, & qvidem, in qvod inqvirendum deficientibus accusatoribus, *c. cum in diœces. 15. X. de Usuris*, qvod in Imperio Romano Germanico tanto minus dubium est, qvò plures reperiuntur Recessus Imperii, qvibus pœnæ contra usurarios sunt definitæ, ut *ex Recessu Augustano de anno 1500. tit.* von wucherlichen *Contracten. Reformat. polit. August. de anno 1530. & de an. 1548. tit.* von wucherlichen *Contracten*, apparet: atqve ita ad reqvisitionem Magistratuum in processibus inqvisitionis, ratione usurariæ pravitatis pronunciari solere tradit *Carpzov. d. l. n. 31.*

12 Qvod ad octavum præceptum attinet, de causis injuriarum verbalium inqvisitionem locum non habere volunt qvidam, qvia injuriæ verbales ad delicta majora referri neqveunt, per tradita *Carpz. d. q. 107. num. 32.* ubi qvidem de foro Saxonico loqvitur, sed tamen Juris Civilis hac in parte eandem putant esse rationem.

Excipiunt aliqvot casus 1. si intuitu officii Magistratui illata

injuria,

injuria, *Carpzov. d. l. num. 32.* 2. si injuria esset notoria, *Carpzov. d. l. num. 34.* nam certum est, ex injuriis publicè illatis sæpius etiam Reip. tranqvillitatem turbari. 3. Nisi injuria illata personæ pauperi & miserabili: eo enim casu judicem ex officio procedere debere, concludit ex *l. 9. §. 5. ff. de officio Proconsulis Marant. d. d. n. 132.* Idqve sacris literis consonum est: nam tales personæ miserabiles accusationis processum instituere non possunt, nec audent. Ideoqve Jobus testatur, se non cohibuisse se ab optato tenuium, nec oculos viduarum confecisse. Et *Esa. cap. 1. vers. 17.* dicit Jehova: *Discite benefacere, qværite jus, beate opressum, jus dicite pupillo, suscipite causam viduæ. Et Jerem. cap. 5. vers. 28. conqveritur Dominus Israelitas non judicare causam pupilli, & jus egentium non judicare. Et idem Propheta c. 22. v. 3. monet: Eripite eum, qvi rapinam patitur, è manu oppressoris,* & similia. 4. Magistratus injuriam scholari illatam ex officio vindicare potest *argum. Auth. habita. C. ne filius pro patre. Mar. d. l. n. 159.* Simile habemus in legatis relictis pio loco, qvo casu, si hæres vel alius pia legata exsolvere nolit, tandem ad fiscum ea devolvuntur, juxta *Auth. hoc amplius C. de fideicom.*

Sed dixerim omnem injuriam scandalosam ex officio puniri posse. Nam multi sunt qvibus nec sumtus, nec temporis spacium ut super injuriis processum instituere valeant. Sunt litium osores, malunt vindictam Deo commendare. Hinc inter cives, odia, simultates oriuntur.

Et hæc de criminibus in specie, in qvæ inqvirendum est, dixisse sufficiat.

CAPUT VI.

DE

PERSONIS, CONTRA QVAS FORMANDA EST INQVISITIO.

SUMMARIA.

1. *Constare debet judici, an contra illam etiam personam inqvisitio licita. n. 1.*
2. *An contra eum, qvi in alio processu absolutus vel condemnatus? N. n. 3.*

3. Hoc

3. Hoc limitatur. n. 3. 4. & 5.
4. Qvid de absoluto? n. 6. 7. 8. 9.
5. An contra mandantem inqvirere judex possit, ubi de principali delinqvente non constat? N. n. 10.
6. An contra auxiliatorem & consultorem prius, qvam ipsum principalem. n. 11.
7. An contra eum, qvi cum parte læsa transegit? A. n. 12. & 13.
8. Qvid si cum fisco transegerit? n. 14.
9. An contra eum inqviri possit, qvi gratiam delicti à principe impetravit? N. num. 15.

1 POstqvam judex certus est, sibi competere potestatem inqvirendi in delictum, etiam denunciatum crimen tale esse ut inqvisitionem mereatur, proximum est, ut dispiciat, an etiam contra personam, qvæ infamata est, processus inqvisitionis formari possit. Non qværimus hic de eo, an persona forum sortiatur coram judice inqvisituro, sed id præsupponimus, & de eo supra satis actum *cap. 3.* Sed hoc saltem considerandum hic judici proponitur, an non personæ qvalitas, vel facti circumstantia inqvisitionem impediat?

2 V. g. qværitur, an contra aliqvem, qvi in alio processu, sive is sit ordinarius, sive extraordinarius, vel informativus, est condemnatus vel absolutus, inqvisitio institui possit? Et qvod ad condemnatum attinet, meritò id negatur: qvia obstaret exceptio rei judicatæ per *l. 6. ff. de Sepulcro violato. Boërius decis. 289. num. 9. Farin. lib. 1. q. 4. n. 1. & 2.*

3 Sed limitatur 1. Si qvis ab alio judice, sive ex officio, sive ad instantiam accusatoris, per collusionem, minorem, qvam par est, sustinuisset pœnam, *Farinac. d. qvæst. 4. num. 2. l. si qvis homicidii 11. C. de Accusat.* qvæ sententia sua luce patet, nam alias qvilibet ordinariæ Pœnæ se subtrahere posset; Et collusio alias in jure odiosa. *per l. 3. ff. de adult. l. 3. §. 1. ff de prævaricat.* Hoc tamen intelligit Farinac. si judices essent diversi, nec sub eodem superiori, vel si intervenit fraus: Sed prior declaratio non videtur certa nisi ratione. Sed secunda de collusione certior, Conf. *Ant. Matt. tit. 10. c. 2. num. 2. & 4.*

Secundò

Secundò limitatur id, qvod de condemnato, non inqvirendo dixi, qvod scil. non habeat locum in eo, qvi in foro Ecclesiastico ad pœnitentiam publicam fuit condemnatus *Farinac. d. qvæst. 4. num. 5. & seq.* cujus ratio est, qvia pœna in foro Ecclesiastico imposita non tollit civilem; nec contra, *Farin. d. l. & Wesenb. in π. tit. de Addit. num. 21.* Nam per pœnam canonicam, seu pœnitentiam publicam, seu, ut apud nos vocatur, publicam deprecationem satisfit tantum Ecclesiæ, qvæ est scandalo offensa, per pœnam civilem autem satis fit Reipubl. 4

Tertiò limitatur, nisi de crimine priùs actum fuerit incidenter, & per modum exceptionis, & non irrogata sit criminoso pœna ordinaria, sed extraordinaria mitior. Nam si v. v. g. testi objiciatur, qvòd sit adulter, & hoc in judicio civili probetur, extra ordinem punitur, *c. 1. X. de except. cap. cum dilectus 2. §. fin. X. de ordine cognit.* & ipsius testimonium reprobatur, qvod nonnullam infamiam facti licet non juris inurit. Sed postea hoc non obstat, qvo minus iterum in processu inqvisitionis de adultetio qværatur, & ordinaria pœna infligatur. Nam sicut processus inqvisitionis & secuta condemnatio non obstat, qvo minus in civili judicio reprobari possit, ita nec contra, *Farinac. d. qvæst. 4. num. 39.* 5

Qvod de condemnato dictum, eum denuò de eodem crimine inqviri non posse, id etiam de absoluto dicendum, ita ut si aliqvis à crimine fuerit absolutus, ab alio judice de eodem crimine inqviri non possit. Bis enim de delicto qværi non potest, & semel absolutus amplius molestari neqvit, *l. pen. §. fin. ff. nautæ, caupones &c. l. si cui. 7. §. iisdem. 2. ff. de Accusat. l. qvi de crimine 9. C. eodem. Maranta part. 6. speculi. tit. de inqvisit. num. 48. Clarus §. fin. qvæst. 57. num. 1. Farinacius qvæst. 1. num. 51. & qvæst. 4. num. 1.* 6

Sed & hoc universaliter verum non est: nam limitatur hæc decisio 1. nisi per collusionem fuisset absolutus, ut ex limitatione prioris conclusionis potest intelligi. 7

Secundo limitatur, ut non habeat id locum, si qvis non definitivè, sed ab observatione judicii tantùm sit absolutus. Hunc enim omnino denuò inqviri posse, uno ore omnes existimant. V. g. si ob processus nullitatem qvis ab instantia fuerit absolutus, per *l. libellorum 3. 1. ff. de Accusat.* vel si ideo absolutus, non qvia 8

 non

non commisit crimen, sed qvia non probatum, *Clarus §. fin. qvæst. 57. num. 2. Farin. d. qvæst. 4. n. 23. ubi plures allegat*, qvod posterius in dubio præsumitur, *Clarus d. qvæst. 57. num. 3.* Sed de ea sententia communi dubitatur, an juri communi conveniat *ob l. 11. C. de Accusat.* ubi accusatus de homicidio, qvia crimen non potuit probari, ideo absolutus, & tamen non potest iterum accusari, nisi prævaricatio doceatur, *Ant. Matt. tit. 16. cap. 4. n. 6.* Sed potest responderi, illam legem de Accusatione loqvi, qva longe favorabilior est Inqvisitio, secundum qvam communem sententiam in facultate nostra pronunciatum memini.

9 *3.* Limitatur, ut sicut condemnatus incidenter in judicio Civili, non prohibetur iterum inqviri; ita multò minus prohibetur ille denuo inqviri, qvi in civili judicio à crimine per exceptionem civiliter opposito fuit absolutus, *Farin. d. qvæst. 4. n. 39. & seqq.*

10 *Secundò* principaliter in hoc capite qværitur, an contra mandantem vel auxiliantem inqvirere liceat, ubi de eo, qvi principaliter deliqvisse dicitur, nondum constat; qvam qvæstionem *Farinac. lib. 1. qvæst. 3.* tractat & decidit negativè post alios, qvos allegat, *num. 1.* & per rationes, qvas producit *num. 2. & 3.* Limitat tamen *num. 9. & seqq.* 1. nisi versemur in talibus delictis, in qvibus solus conatus vel mandatum, sine effectu subsecuto, animadversionem meretur. 2. Nisi de delicto principalis delinqventis constet, sed persona delinqventis ignoretur. His enim casibus omninò contra mandantem inqviri potest, licet de eo, qvi principaliter deliqvisse dicitur, nondum constet.

11 Eadem qvæstio etiam formatur de Auxiliatoribus & Consultoribus, nam præposterum foret, anteqvam constet de principali delinqvente, contra Auxiliatorem aut Consultorem inqvirere. Potest tamen dari casus, ubi de auxiliatoribus facilius constat, qvam de principali delinqvente & de delicto nullum est dubium. Cautelam tamen hanc tradit *Dn. Oldekop. tit 2. obs. crim. obs. 18*, ut scilicet judex dicat adstitisse aliqvem, vel consuluisse, ut facilius & habilius delictum committeretur, *Clarus §. fin. q. 90. n. 5.* Sed cautelam hanc necessariam non puto, nam qvomodo Auxiliator puniendus sit, non ex modo proponendi, sed ex Legibus & Attestatis, dijudicandum.

Tertiò

Tertiò qværitur: Cum ſæpisſimè facinoroſi, præſertim in homicidio, cum parte offenſa, v. g. cum cognatis hominis interfecti tansigere ſoleant, an Magiſtratus transactione ejusmodi non obſtante, contra eum, qvi deliqvit, proceſſum inqviſitionis formare poſſit & debeat? Et communiſſima veriſſimaqve ſententia Dd. eſt, transactionem partis non obſtare, qvò minus judex ex officio inqvirere poſſit, *Boſſ. in Pract. crimin. tit. de pace num. 9. Maranta part. 6. tit. de inqviſit. num. 55. & 57. Clarus §. fin. qvæſt. 58. n. 1. Farinacius lib. 1. qvæſt. 4. num. 32. & Dom. Carpzovius qvæſt. 148. n. 1.* cujus rei rationes ſunt in promptu, qvia Pars licet in ſui præjudicium pœnam remittere poſſit, *l. pen. C. de. pactis*, id tamen non poteſt facere in præjudicium Reipub. & jus qvæſitum Reipublicæ pacto privatorum tolli neqvit, *l. jus publicum 38. ff. de pactis.* 12

Atqve id etiam placuit Sereniſſimo Electori Brandenburg. & Principibus vicinis *in allegata convent.* §. Und hinwiederumb. ibi Und hinwiederumb fichtet die hohe Obrigkeit nichts an/ob ſich gleich die Räuber mit dem Geraubten oder des ermordeten Freundē heimlich oder öffentlich vertrügen: Sondern die perſecution der Mörder und Räuber bleibet der hohen Obrigkeit ratione intereſſe publici billich bevor. 13

Illa alia eſt qvæſtio, an ob transactionem partis offenſæ minui pœna debeat? qva de qvæſtione agit *Treutl. & ibi Bacchov. vol. 2. diſp. 7. th. 5. lit. E. & Dn. Carpz. d. qvæſt. 148. num. 23. & alii.* Et ſane nulla ratio eſt, cur ob transactionem cum parte læſa, fieri poſſit mitigatio pœnæ, & periculoſiſſima & pernitioſiſſima in crimine homicidii. Nam duplex eſt intereſſe,; aliud publicum, aliud privatum, ſi ratione intereſſe privati ſatis factum parti læſæ, qvomodo tollitur vel minuitur intereſſe publicum? ideo hanc opinionem nonnullorum prolixe & ſolide refutavit *Oldekop. decade 2 q. 1.* Et ſeqveretur ex hac opinione locupletes homicidas ſemper poſſe evitare pœnam capitalem, & ſic ſupplicium pauperibus homicidis tantum eſſet irrogandum, ſic talibus commentis & crudeli miſericordia evertimus regna & provincias & ſanguine humano commaculamus noſtram jurisprudentiam. Sic nuper alicui Nobili, qvi cum occiſi Vidua & liberis transegerat, dictitavimus in facultate noſtra pœnā gladii neglecto uno vel alio Collegii Juridici conſilio, 14

 ubi

ubi etiam consensus Principis intervenerat. Nam princeps consentiens in transactionem, vel eam urgens privatum interesse viduæ attendit, non verò animum adgratiandi. Nec in homicidio bonus princeps remittendi pœnam fas sibi esse judicat in foro conscientiæ. Nullibi igitur in irrogatione pœnæ ratio habebitur transactionis, nisi in furto, ubi attendi debet, qvantum nocuerit furtum passo.

Diximus reum inqviri posse, licet transegerit cum parte of-
13 fensa. Aliud autem si transegerit cum fisco, nam tunc inqvisitio à Fisco vel ejus procuratore institui non potest, *Farin. d. qvæst. 4. num. 36. & Dn. Carpzov. d. qvæst. 148. num. 18.* qvomodo autem Magistratus cum facinoroso transigere poterit, *infra* dicetur.

Qvod si reus gratiam delicti à Principe impetraverit, talem
14 à judice ordinario denuò inqviri non posse, ex supra dictis patet, & tradunt *Dd. per l. 1. & t. t. C. de sententiam passis. Farin. lib. 1. q. 1. num. 52. & qvæst. 6. num. 1. Clarus qvæst. 59. n. 1.* modò ei Principi judex sit subjectus.

CAPUT VII.

De GENERALI INQVISITIONE.

SUMMARIA.

1. *Generalis inqvisitio juxta leges suspicienda & sine affectibus pravis. n. 1. & 2.*
2. *Corpus delicti investigandum. n. 3.*
3. *Licet reus delictum sit confessus, n. 4.*
4. *Qvomodo constare debeat de corpore delicti? n. 5.*
5. *Qvomodo in delictis facti manentis & transeuntis? n. 6. 7. 8. 9. 10. 11.*
6. *Exemplis id declaratur. n. 12. 13. & 14.*
7. *Reqvirendum illorum super corpore delicti judicium, qvi istius artis sunt periti. n. 15.*
8. *Practica Doctorum circa corpo-*

DE forma inqvisitionis uberius, volente DEO, acturi, priùs de generali inqvisitione aliqvid dicemus. Præmonendus autem judex est, qvod inqvisitionem non pro arbitrio suo, sed juxta leges & consuetudines probatas *arg. l. absentem 6. C. de Accus.* formare debeat, ne exceptio ineptæ inqvisitionis processum reddat nullum, ut *arg. l. libellorum §. 1. ff. de accusat.* monet *Carpz. in Pract. crim. qvæst. 107. n. 66.* 1

Ideoqve debet inqvirere judex sine odio, sine ulla offensione ac levitate, *can. judicet. 4. C. 3. qvæst. 7. can. judicare 61. C. 11. qvæst. 3.* sine gratia, *l. in hæredem 5. ff. de calumniat.* Sine præcipitantia, *Esa. 8. vers. 7. l. 1. C. de Execut. Rei judic. c. non solum 77. C. 11. qvæst. 3.* Ex charitatis affectu, mente per rationem & legem gubernata, processu legitimo observato &c. ut monent *Cothman. vol. 9. resp. juris 29. num. 69. & seqq. Carpz. qvæst. crim. 107. n. 67.* 2

Deinde in hoc laborabit judex in generali inqvisitione, ut corpus delicti i. e. ut ipsum factum investiget, alias enim corpore delicti non investigato, ad specialem inqvisitionem, nedum ad torturam, pervenire judex non poterit, *l. 1. §. item illud 24. & ibi* Dd. omnes, *l. necessarios. 5. §. non aliàs 2. ff. ad SCtum Silan. l. inde Neratius 23 §. fin. ff. ad L. Aqvil. l. si is qvi rem pignori 66. §. pen. ff. de furt.* 3

furt. l. si qvis legatum 6. princ. vers. Cæterum ff. ad L. Cornel. de fals. l. ejus qvi delatorum. 29. pr. vers. verum oportet constare &c. ff. de jure fisci. Farinac. plures allegans lib. 1. qvæst. 1. num. 6. & qvæst. 2. Clarus d. §. fin. qvæst. 4. per totum. Carpz. part. 3. Pract. crim. qv. 108. num. 1. & seqq.

4 Et licet qvis fateatur delictum, non tamen contra illum ad condemnationem procedendum est, nisi de corpore delicti constet, *l. 1. § fin. ff. de qvæstion. Farin. d. qvæst. 2. num. 7.*

5 Sed qvomodo constare debet judici de corpore delicti? Rectè monet *Dn. Carpzov. d. qvæst. 108. num. 8. & seqq.* aliter constare debere judici de corpore delicti ad inqvirendum contra certam personam, aliter ad torqvendum, aliter ad condemnandum. Ad Generalem inqvisitionem sufficit, ut constet de rumore, ad specialem major certitudo de ipso crimine, major adhuc ad torturam, maxima verò ad condemnationem reqviritur.

6 Et qvidem si ad inqvirendum contra certam personam investigetur corpus delicti, distinguendum est inter delicta facti permanentis, & facti transeuntis. Delicta facti *permanentis* sunt, qvæ post se relinqvunt vestigia, ut homicidium, stuprum illatum virgini, falsificatio monetæ, furtum, incendium, & similia. Et qvidem in furto vestigium est inventio rei ablatæ, fractum ostium, scalæ repertæ & ferramenta &c. Alia sunt facti *transeuntis*, qvæ nullum post se relinqvunt vestigium, ut interdum Magia, Adulterium, ut ex dictis patet, Injuriæ verbales & similia.

7 In illis necesse est, ut constet de corpore delicti: In his verò, qvia corpus delicti certò investigari neqvit, ex rei natura: ideoqve sufficit per indicia & conjecturas investigari corpus delicti. *Farin. d. qvæst. 2. num. 13. Bened. Carpzov. d. qvæst. 108. n. 36.*

8 Idem qvod de delictis facti transeuntis dictum, etiam de delictis occultis judicandum, ut sufficiat constare de corpore delicti per conjecturas, *arg. art. 60. Constit. Carolinæ. Farin. d. q. 2. num. 12. Carpzov. d. qvæst. 108. num. 33.*

9 Notandum tamen est, etiam delicta facti permanentis haberi interdum pro occultis & delictis facti transeuntis: v. g. si Cajus dicatur occisus, & projectus in mare, hoc & simili casu judex corpus delicti tantùm per conjecturas investigabit. *Carpzovius d.*

qvæst.

qvæst. 108. num. 11. & seqq. Farin. q. 2. n. 9. Vel si mulier de fornicatione suspecta, & antehac cum ventre intumescente visa, in profluentem aqvam, tempore nocturno aliqvid projecisse visa sit. Hic per conjecturas sufficienter corpus delicti investigatum videtur, ut ad inqvisitionem specialem judex pervenire possit, *Carpzovius d. qvæst. 108. num. 12.*

In cæteris autem delictis, qvæ vestigium post se relinqvant, 10 evidentissimis & liqvidis probationibus opus est, ut monet *Farin. d. q. 2. n. 6.* qvod intelligo ad hunc effectum, ut ad condemnationem sine ulla alia investigatione corporis delicti perveniri possit. Alias sufficit, si summariè tantùm de corpore delicti inqviratur in hac generali inqvisitione, liqvidæ magis adhibentur probationes, qvibus delicti corpus ad effectum condemnationis probatur, ne, si in generali inqvisitione judex nimis curiosus esse vellet, fugiendi spatium adipiscatur reus.

Ideò ex *Claro* rectè monet *Tranq. Ambrosinus lib. 1. de modo* 11 *formandi processum. inform. c. 1. num. 10.* etiam in delictis facti permanentis licere interdum, si periculum sit in mora, vel aliqva justa subsit causa, & judici aliqvatenus constet de delicto ex verisimilibus, contra suspectos ad capturam pervenire. Facilius enim est captum liberare, qvam liberum capere.

Contingit non raro, ut ambigatur, an per scelus & dolum 12 aliqvid factum sit, annon, licet factum ipsum adesse videatur v. g. confossus reperitur aliqvis, sed nescitur, an seipsum confoderit, an ab alio confossus. Reperitur infans mortuus, nescitur autem an violenter interemtus, an naturali morte obierit. Sic reperitur aliqvis aqvis suffocatus in puteo, & dubitatur, an casu inciderit, an seipsum præcipitaverit, an vero ab alio interfectus fuerit. Sic in corpore veneno interfecto aliqvando dubitari solet, an sibi ipsi miser venenum propinaverit, an ab aliis propinatum ignorans exhauserit.

In his & similibus casibus diligenter omnes circumstantiæ 13 exigendæ sunt, an fuerit homo sanæ mentis; an habuerit gladium? an casu incidere in puteum potuerit; an fuerit tentatus; an statim post cænam male habuerit? & similia.

Ex circumstantiis enim his & similibus corpus delicti cum 14

qvalitatibus suis facile, elucescet. Nam si appareat per scelus id non esse factum, sed casu &c. tunc non amplius inqviret, sed si de scelere appareat, vel adhuc dubitetur, pergat in inqvirendo, *Clarus §. fin. qvæst. 4. num. 5. Ambrosinus d. cap. 1. num. 14. & seqq.*

15 Occurrunt tamen multa circa inqvisitionem corporis delicti, de qvibus judex ipse judicium ferre neqvit, cum ejus professionis non sint, v. g. an aliqvis sit veneno interemtus, an illud venenum sit ingenitum, an propinatum, an verum venenum sit, qvod propinatum est. Ingenitum enim est, qvod ex pravis humoribus tandem collectum veneni qvalitatem adscivit: Et hoc venenum calidum est, exterius assumptum frigidum *Paul. Zachias in qvæst. Medico. legal. lib. 2. tit. 2. q. 5. & 6.* Et ex veneno contracto interno non tam subitanea & atrocia symptomata seqvuntur *Farin. q. 2. num. 34.* Subitanea ergo mutatio status veneni externi videtur esse signum *Oldekop. tit. 4. obs. 47. num. 11.* ut subitanea nausea, dolor ventriculi, tremor, cordis palpitatio, syncope, vomitus, sudor frigidus, unguium lividus color, tumor corporis, labiorum nigricatio; Post mortem ungues nigri, capilli defiuentes, cont. *Zach. d. t. 2. q. 7.* Indicia Juridica sunt fama, emptio veneni, avida spes hæreditatis, Adulterium conjugis *Farin. q. 122. part. 4. n. 62. & seqq.* Qvando autem vulneratus qvis est graviter, de vulnerationis qvalitate inqviret. Item in aliis casibus, an virgo stuprata sit vel non; an morbus sit naturalis, an verò ex incantationibus magicis, an defunctus ex vulnere, an vero ex malo regimine victus decesserit, & similia. Et in his similibusqve casibus necesse erit peritorum artificum operam adhibere, ut medicorum, Chirurgorum, Pharmacopæorum, obstetricum & similium, *Clarus d. qvæst. 4. num. 4. Ambros. d. cap. 1. num. 18. Farin. q. 2. num. 31.*

16 Ideoq; laudanda merito practica Doctorum; qvi svadent, ut v. g. in homicidio, judex ipse vadat vel mittat Scabinos una cum Medicis & Chirurgis ad visitandum cadaver, describat vulnera, punctim an cæsim inflicta; & qvidem describenda sunt vulnera, particulariter cum omnibus qvalitatibus suis, & qvo genere armorum illata videantur, nam ex his circumstantiis sæpe investigare possumus delinqventem: v. g. si arma ejus vulnerum qvalitati respondent, *Clarus d. l. Carpzov. part. 1. qvæst. 26.*

Ideoq;

Ideoq; sanxit etiam Carolus V. Imper. *Constit. crimin. art. 149.* 17
Es soll der Richter samt zweyen Schöppen/ dem Gerichts-Schreiber/und einen oder mehr Wund-Aertzten/so man die haben und solches geschehen kan/ die dann zuvor darzu beeydiget werden sollen/ denselbigen todten Cörper von dem Begräbniß mit Fleiß besichtigen/ und alle seine empfangene Wunden/Schläge/Auffwürffe/wie der jedes befunden und ermessen würde/ mit Fleiß mercken und verzeichnen lassen.

Ex qvo articulo hæc qvatuor rectè observanda monet *Dom.* 18
Carpzovius d. qvæst. 26. num. 30. 1. Ipsum judicem non debere gravari, qvo minus ipse cum Scabinis & actuario judicii accedat ad cadaver occisi. 2. Adhibendos esse Medicos & Chirurgos, unum vel plures. 3. Ut hi ipsi juramentum præstent de judicio suo. Id qvod graviter illi ferre non debent: cum non jurent præcisè de veritate, sed credulitate, *Ambros. c. cap. 1. n. 21.* qvod tamen communiter remitti solet, si initio officii, vel dignitatis collatæ juramentum præstiterint, *Masc. concl. 1037. n. 36. Oldekop. tit. 2. obs. 7. n. 4.* Male igitur nonnulli Practici præcise urgent juramentum hoc, nam qvia sciunt Medicos non facile id præstituros, hac causa subvenire clientibus annituntur, cum animarum suarum, atq; interdum integrarum provinciarum damno. 4. Vulnera diligenter inspicienda & describenda esse.

Eadem diligentia adhibenda est in visitatione cadaveris e- 19
jus qvi veneno extinctus dicetur, nam ibi sectio intestinorum facienda & Medici consulendi, an ingenitum, an verò extrinsecus assumtum venenum sit, qvale sit venenum &c.

Et castiganda hîc meritò multorum Judicum summa osci- 20
tantia, incuria, & negligentia, cujus graves Deo summo Judici, & forte etiam in terra superiori judici reddituri sunt rationes, qvod, qvoties fama percrebuit de homine, sive ferro sive veneno extincto, nullam tamen inspectionem corporis occisi instituant, ex qvo facilè fieri potest, ut nocentes meritæ pœnæ subtrahantur, vel interdum etiam innocentes condemnentur; Idqve ni fallor, faciunt, ex avaritia, dum sumptibus parcunt, sed interim justitiam malè administrant, & iram divinam sibi suisqve thesaurizant, adeò ut de multis non malè dici possit, qvod qvidam de judicibus nonnullis

judicabat: Imperium scil. merum talibus ita utile esse, ut puero gladium. Sed si vulneratus ex vulnere continuè expiret, nonnulli patroni solent desiderare inspectionem vulneris, qvod valde miror, qvos recte refutat *Oldekop. tit. 4. obs. 47. n. 8. Sed qværitur*, si ex intervallo qvidem, sed intra aliqvot horas aut paucos dies moriatur, an defectus inspectionis liberet reum à pœna? Ita qvidam disputant. Sed cum imperator in casu dubio reqvirat sectionem, in *Art. 147. Const. crim.* & ex loco vulneris judicium Medici possit probare lethalitatem vulneris, ut si capitis sit vulnus & effluat cerebrum, vel in ventre vulnus illatum, & fimus effluat &c. qvis sine absurditate poterit desiderare inspectionem, qvamvis hæc non dicam negligentiæ judicis excusandæ, sed retundendæ qvorundam Patronorum opinioni, qvi tali pòst pacto liberare volunt homicidam à pœna ordinaria. Interdum loci ac temporis ratio non admittit sectionem, si tempus æstivum, locus ab urbe remotior &c. Et Jure Divino sectionem corporis in homicidio nunqvam reqvisitam memini, cujus juris tamen potissima habenda ratio.

21 Monitos tamen velim omnes judices, qvotiescunqve fama spargitur, aliqvem esse veneno vel aliter extinctum, ut sine omni mora inspectionem cadaveris fieri jubeant: Id enim non minus ad docendam innocentiam ejus, qvi suspicionibus apud vulgum gravatus est, qvàm ad eruendũ delicti corpus, facit. Svaderem autem judici, ut cum Medico, qvi curavit ægrum, in secreto loqvatur, vel cum iis, qvi ipsum ægrotantem visitarunt, & conferat postea indicia &c. Conf. *Oldekop. d. t. 47. n 9.*

22 Præsertim qvotiescunqve fama vel rumor est aliqvem veneno extinctum, judex cum uno atqve altero Medico & Chirurgo ad cadaver sine mora se conferat, nam hic sæpè in mora est periculum, præsertim diebus æstivis, & factâ sectione coporis, inqvirat 1. an venenum vel vestigia ejus, in corpore reperiantur? qvâ in parte Pharmacopœorum judicium etiam necessarium est.

2. Et si venenosa materia reperiatur, an etiam propinatam esse existiment?

3. Qvomodo illud nominetur?

4. An ex veneno isto mori potuerit?

5. An qvis tale venenum in pharmacopoliis nuper emerit, & qvisnam? &c.

Postea

Postea inqviratur, 1. qvamdiu mortuus decubuerit? 23

2. Qvale fuerit regimen in morbo?

3. Qvis ipsi medicamenta & alimenta subministraverit?

4. An defunctus vomitum freqventem habuerit? qvem indicium præbere veneni, concurrentibus aliis, docet *Carpz. pract. crim. qvæst. 21. num. 5.*

Et hac in parte sollicitus nunqvam judex satis esse potest, 24
cum enim veneficio seu veneno hominem interimere, sit atrocissimum crimen, atqve adeo sine scrupulo conscientiæ à judice talis fama negligi neqveat, nec verò aliter probari possit, nisi corpus delicti hac ratione pro subjectæ materiæ conditione satis exploratum sit, ideò omnes circumstantias accuratè per dictas personas investigare, ac omnia in scripturam referre debebit judex.

Licet enim testes deponerent, se vidisse dari venenum, & 25
qvod secuta sit mors, (qvamvis rarissimè venenum in conspectu aliorum palam propinetur:) videtur tamen hoc non sufficere, nisi super præmissis articulis inqvisitio præcesserit: Nam non possunt scire, an venenum sit, nec etiam internas ejus in corpore operationes, *Gometz. tom. 3. resolut. cap. 3. num. 8.* ubi superiorem practicam commendat, & *Farinac. qvæst. 2. num. 32.* qvod si autem judices hujusmodi delicta dolosè palliaverint, non evadent æterni judicis condemnationem, ut inqvit *Clarus §. fin. qvæst. 4. in fine.*

Sed etiamsi homicidium factum esse dicatur, judex ad occi- 26
sum se conferat sine ulla mora, cum medico uno vel altero & chirurgo, aliisqve testibus, si ignotus ille sit, vel advena, describi à Notario curet ipsius Sexum, staturam, capillorum colores, barbam, ætatem, qvatenus ea sc. ex adspectu exteriori probabiliter colligi potest, & vestimenta, idqve eum in finem, ut si fortè post sepulturam fama ferat aliqvem esse occisum, certò sciri possit, hunc esse illum ipsum, qvi fuerit illo vel illo loco interfectus. Describat postea locum, ubi repertus fuerit, item qvo loco sangvinem ejus deprehenderint, describi curet vulnera, an cæsim, an punctim videantur inflicta, qvo genere armorum? Vestibus exui curet corpus, & an alia etiam in parte corporis sit læsus, inqvirat profunditatem vulneris. *Farinac. d. qvæst. 2. num. 4. & Ambrosinus d. qvæst. 1. num. 25.*

27 Postea, ut dictum, judicium Medici & Chirurgi addatur, anne vulnus sit lethale, vel an alio ex Symptomate mortuus videatur. Et hoc ultimum præsertim tunc faciendum est, qvando vulneratus aliqvamdiu decubuit, ubi inqvirendum, qvamdiu vulneratus decubuerit, an ejus cura fuerit habita ab hospite vel inqvilinis, qvale fuerit regimen, wie sich der Verwundete verhalten.

28 Postea examinandi sunt testes, qvi probabiliter notitiam rei habere videntur, super his articulis:

1. An cognoscat occisum de facie & qvisnam sit?
2. An sciat ipsum esse interfectum ab alio?
3. Unde illud sciat?
4. Qvis ipsum occiderit?
5. Annon suspicionem habeat de aliqvo & qvæ causa suspicionis?
6. Vel an nesciat, qvâ viâ ac ratione autor homicidii investigari possit?
7. An nesciat, intercessisse inimicitiam inter occisum & alium?
8. Et qvid alias testi hac de re notum sit &c.

29 Si vero non cognoscatur à testibus cadaver, aliqvandiu in templo vel alio loco publico servari potest, donec certius aliqvid de nomine, & patria ejus vel etiam de autore homicidii cognosci possit, *Ambrosinus cap. 1. num. 26.*

30 Imò humatum etiam corpus interdum effodi debet, *Clarus qvæst. 55. num. 11. Farinac. d. qvæst. 2. num. 5. Ambrosin. d. cap. 1. n. 27.* qvod in infanticidiis præsertim factum memini. Nam hoc in practica qvotidiè observatur, inqvit *Dn. Carpzovius part. 1. Pract. Crim. qvæst. 16. num. 8.* ut parricidii reus (loqvitur qvidem de speciali inqvisitione, qvod tamen in qvibusdam etiam in generali locum habere potest) ante omnia examinetur, ubinam locorum cadaver sepelierit, vel projecerit, & confessione facta ad locum denominatum ipsemet reus qvandoq; deducatur, ut præcisè eum demonstret, ubi postea cadaver diligentissime perqviritur, ac in terrâ defossum exhumatur, qvò certus fiat judex de corpore parricidii. Et solent ipsi etiam rei ad cadaver tangendum adduci etiam sine superstitione, saltem, ut videat judex, qvibus gestibus accedant, an cum tremore, an vero cum pallore, ut forte novũ exinde

inde eruatur qvale qvale indicium innocentiæ aut delicti, *Oldekop. lit. 2. obs. 2.* licet ipsa ebullitio sangvinis qvæ tamen sæpissime contingit etiam in putrefacto fere corpore, & (causam Deus scit) non sit per se sufficiens indicium ad inqvisitionem specialem, nedum ad torturam *Oldekop. d. l. Carpzov. qvæst. 122. num. 30.* ubi num. 36. hoc indicium non omnino spernendum esse dicit, scilicet aliis concurrentibus, nam nemo dicet, hoc indicium solum sufficere.

Ante omnia verò monendus est judex, dum generaliter vult inqvirere, ne testem in specie interroget de hac vel illa persona, an hic vel ille fecerit. Tales enim suggestiones in jure sunt periculosissimæ, juxta *l. 1. §. qvi qvæstionem 21. ff. de qvæst.* ubi ait JCtus, *qvi qvæstionem habiturus est, non debet specialiter interrogare, an L. Titius homicidium fecerit, sed generaliter, qvis id fecerit, alterum enim magis suggerentis qvàm inqvirentis videtur, & ita. D. Trajanus rescripsit.* 31

In genere ut concludam, qvotiescunqve delictum aliqvod commissum esse dicitur, & de autore adhuc nondum constat, judex debet inqvirere in corpus delicti, & omnes ejus qvalitates, imò & circumstantias loci, temporis, aliarumqve rerum. Nam horum certitudinis in speciali postea inqvisitione maxima est necessitas & utilitas. 32

CAPUT VIII.

DE

FORMA INQUISITIONIS SPECIALIS ET EJUS MEMBRUM I. DE EXAMINE IPSIUS REI ET CONNEXIS.

SUMMARIA.

1. Contra qvem specialis inqvisitio instituenda? n. 1.
2. An Reus interrogandus prius qvam in speciali inqvisitione testes examinati? affirm. n. 2. & 3.
3. An citatione opus sit? affirm. n. 4.
4. Qvæ reqvirantur ad id, ut inqvirendus carceri mancipari possit? 5. & seqq.
5. Qvomodo contra fugientes facino-

facinorosos procedendum? n.12.13.

6. *Indicia in scripturam redigenda. n.14.*

7. *An denunciatio læsi sufficiat, ut reus capi possit?* D.n.15. *& 16. & qvale mandatum de capiendo esse debeat. n.17*

8. *An confessio socii?* D.n.18.

9. *Qvid agendum, si indicia sint leviora? n.19.*

10. *Qvalis carceris & custodiæ, n.20.21.22.23.*

11. *Carceres debent esse separati ratione sexus, n.24.*

12. *Nomina captivorum judici præsentanda. n. 25.*

13. *Captivi sejungendi. n.26.*

14. *Qvid si carceratus sit infirmus? n. 27.*

15. *Qvid judici faciendum, anteqvam examen Rei instituat? n.28. & seqq.*

16. *Examen debet esse articulatum, n.33.*

17. *Articuli debent per modum interrogationis proponi. n. 34.*

18. *Singuli articuli unum tantum pactum contineant, unicamqve circumstantiam. n.35. & seqq.*

19. *An in genere super delicto reo sit interrogandus? n.37.*

20. *Suggestiones maximè vitandæ. n.38.39.40.41.42.*

21. *Nisi interdum unius vel alterius circumstantiæ expressio utilis sit. n.43.*

22. *De ordine articulorum. n. 44.45.46.47. 48.*

23. *Reus etiam super circumstantiis illis, ex qvibus defensio Rei patere potest, examinandus n.50.51.52.*

24. *Confessio non eruenda spe impunitatis. n.53. & seqq.*

25. *An cautelæ locum inveniant?* D.n.57. *& seqq.*

26. *Articuli ex indiciis formandi. n.62.*

27. *Et ex natura delicti. n.63. & seqq.*

28. *Examinari debet reus super omnibus circumstantiis. n.66.*

29. *Examen non uno actu absolvendum. n. 66.*

30. *Qvæ sint interrogatoria generalia? n. 67.*

31. *Qvæ sint præambula specialium interrogatoriorum? n. 63. & seqq.*

32. *Dispositio articulorum. n.72.*

33. *Qvo*

CUm jam de crimine admisso constat, per generalem inqvisitionem, & apparet etiam, contra qvem in specie formandus sit processus, jam ad specialem inqvisitionem, invocato prius Deo, accedat judex & inqvirat contra eum, qvi publica fama vel dictis testium in generali inqvisitione gravatus est. 1

Sed hoc in qvæstione est: an priùs testes contra reum in specie examinandi, an verò prius ipse inqvisitus ad articulos cum suis responsionibus examinandus? Et qvamvis prius placeat *Claro qvæst 11. num. 2.* testandi de consvetudine, & aliis, posterius tamen de jure verius videtur. Nam certissima est regula juris: Examen testium non fieri posse regulariter, nisi lite à reo contestatâ: Jam vero nulla hic apparet ratio, cur ab illa regula recedamus. Et qvo 2

 modo

modo ſcire poterit judex, ſuper qvo interrogare debeat teſtes, niſi priùs interrogaverit reum ipſum. Nam ſi reus qvædam facta fateatur aut circumſtantias, non eſt neceſſe ea probare.

3 Et verò praxis judiciorum noſtrorum hanc poſteriorem ſententiam, qvam ipſe *Clarus* non obſcurè in puncto juris veriorem exſtimat, manifeſto confirmat. Poſtqvam enim ex inqviſitione generali jam conſtat, contra qvem in ſpecie proceſſus formandus ſi, hic ſuper articulis inqviſitionalibus examinari ſolet, & ſi hic negaverit articulos, tunc demum teſtes examinantur ſuper iisdem articulis, qvamvis, ſi examinentur teſtes, nova indicia interdum emineant ſuper qvibus inqviſitus denuo poſtea examinandus. *Mevius p.2.dec.321.* Agemus ergò priùs de examine ipſius Rei.

4 Anteqvam autem reus reſpondere cogatur, citatione opus eſt. Qvia autem citatio vel realis, vel verbalis eſt, ideoqve judex accurate circumſpicere debet, an tantum verbaliter citare, an etiam carceri mancipare debeat. Et qvidem id ſecuti veſtigia *Dn. Carpzovii aliorumqve,* aliqvot regulis expediemus.

5 Prima regula ſit trimembris: 1. *Qvoties delictum tale eſt, ut mereri poſſit ultimum ſupplicium, vel pœnam corporis afflictivam, tunc devenire poteſt ad citationem realem ſeu captivitatem & carcerationem,* Clarus qvæſt. 28. num. 1.

6 *2. Qvando verò crimen regulationem & pœnam pecuniariam meretur, tunc citandus eſt reus verbaliter, & carceri mancipandus non eſt, ne detentio inqviſiti ſit ipſa Pœnâ gravior. Clarus §. fin. q. 28. n. 1. & Bened. Carpzov. pract. crim. qvæſt. 111. num. 6. qvamvis diſſentiat Farinac. qvæſt. 27. num. 39.* Sane ratione Relegationis eſt dubia hæc regula, ob textum in *l.1.ff.an per alium cauſa appellationis,* nam ibi ſub gravioribus pœnis pecuniariæ pœnæ oppoſitis, Relegatio continetur *Ant. Matth. tit. 14. c. 1. in fin.* Sed uſu videtur receptum, ut relegandus non facile incarceretur.

7 *3. Qvando verò ambiguum adhuc eſt propter eventum incertum, v. g. vulneris inflicti, vel qvia pœna arbitraria eſt, & ideo ad mortem extendi poteſt, an corporalis pœna, an pecuniaria locum habitura ſit, tunc judex ob incertum eventum rei fugam omnino prævenire tenetur, ne ipſius culpâ judicium reddatur eluſorium.* ut ait *Bened. Carpz. d. qvæſt. 11. num. 12.*

Primum

Primum membrum regulæ eſt limitandum ex iis, qvæ traduntur *in tit. ff. de cuſtodia reorum:* nam ſi reus ampliſſimis dignitatibus fruatur, aut facultatibus magnis præditus ſit, adeo ut non metuendum ſit ipſum ſtatim aufugiturum, poteſt fidejuſſoribus vel ſuæ fidei committi, per *l. 1. ff. de cuſtod. reorum. Auth. hodiè d. t.* Ergò nec ſtatim carceri mancipandi ſunt ejusmodi, niſi ſit delictum atrocius, ubi nobilitatem generis, dignitatemqve perſonæ, & ſexum à carcere aut detentione perſonæ inqviſitum non eximere, conſvetudo docet, de qva teſtatur *Carpzov. d. qvæſt. 111. num. 41.* qvod & in noſtro Electoratu uſus obtinuit, ita tamen, ut non niſi in atrociſſimis delictis, & qvando indicia ſunt urgentia, ii, qvi in dignitate conſtituti ſunt, v. g. Nobiles aut Doctores, in carcerem compingi debeant. Semper enim cum iis, qvi in dignitate conſtituti, ratione cuſtodiæ mitius agendum *Farin. qvæſt. 27. n. 86*, ratio eſt, qvia minor ſuſpicio fugæ. Licet autem illuſtres ad juratoriam cautionem admittantur, *l. 17. C. de dignitat.* tamen hodie id fit rarius, plerumqve enim fidejuſſoribus committuntur. Committi etiam poſſet cuſtodiæ militum in propria domo, ſed hoc in atrociori crimine homicidio faciendum non eſt. 8

Secundum membrum ipſe *Carpzovius* limitat *num. 10.* qvod locum non habeat in vagabundo & vili perſona. Nam à Relegandis Urpheda præſtanda eſt, qvæ ipſos poſtmodum revertentes ad duriorem pœnam obſtringit, ut ſic multum interſit, reos ad relegationem condemnatos præſentes haberi, ipſosqve ad Urphedæ præſtationem adigi, ſicut & ita obſervatum eſſe teſtatur. Et criminis pecuniarii reus, ſi ſuſpectus ſit de fuga, & fidejuſſorem non habeat, poteſt incarcerari, cum etiam corpus torqveatur eorum, qvi egeſtate pecuniariam pœnam eludunt, *l. 1. §. ult. de pœnis Ant. Matth. tit. 14. c. 2. num. 2.* Vel ſi latitet, per apparitores eſt prehendendus *l. 2. & 3. C. de exhib. reis*, & regula de non extrahendo reo ex ædibus *l. pleriqve 18. de in jus vocando*, ad crimina non pertinet. 9

Non qværimus autem hic, an ſine conjecturis poſſit qvis carceri mancipari, nam ne qvidem generalem vel ſpecialem inqviſitionem ſine conjecturis inſtitui poſſe, ſupra diximus, multò minus carcer locum inveniet, ubi non conjecturæ præceſſerunt, *artic. 6. pr. ibi:* So jemand einer Ubelthat durch gemeinen Leimunt berüchtiget/ 10

tiget/ oder andere glaubwürdige Anzeigunge verdacht und argwönig/und derhalben durch die Obrigkeit von Ampts wegen angenommen würde/rc. & *artic.218. Constitutionis Criminalis*, ibi: So durch die Obrigkeit etwa leichtlich auch erbare Personen ohne vorgehenden berüchtigten bösen Leumunt und andere gnugsame Anzeigung angegriffen/ und in Gefängniß bracht werden/etc. *Carpzov. d. qv. 111. n. 19. & seqq. Farinac. lib.1. qvæst.27. num.113. & n.116.* ubi hanc sententiam communiorem & æqviorem vocat.

11 Qvamvis & hoc negari non possit, leviorem interdum esse conjecturam, qvàm qvæ ad captivationem sufficiat. Ideoqve secundam regulam constituo, cum *Carpzovio d. qvæst. 111. num. 25. Qvæcunq; indicia ad specialem inqvisitionem sufficiunt*, (qvæ autem illa sint, supra dictum est c. 4) *ea etiam ad capturam sufficere possunt, cætera si paria sint: nam specialis inqvisitionis præambulum est captura.*

12 Non tamen arbitrium judicis, ratione indiciorum excludo, sed potius discretum judicem personæ & criminis qvalitatis aliasqve circumstantias & conjecturas etiam ipsas, bene ponderare oportere puto, cum *Farinac. d. qvæst. 27. num. 126.* v.g. Si is, qvi de crimine diffamatur, fuga sibi consulere tentet, hunc licite capi & incarcerari posse, non est dubium, per tradita *Carpzovii d. qvæst. 111. n.35.* nam leviora hic indicia sufficiunt; ut præter fugam fama, minæ, inimicitiæ, testimonium unius, confessio rei extrajudicialis & sim. *Ant. Matth. t.14. c.1. num.7.* in qvem finem officiales â Magistratu ablegari solent & debent cum literis patentibus, mit offenen Steck-Briefen / qvibus magistratus cujuscunqve loci rogari solent, ut ubicunqve locorum fugitivus reperiatur, cum permissu Magistratus capere liceat, id qvod experientia qvotidiana comprobat.

13 Qvomodo in electoratu hoc, necnon Pomerania ac Megapolitano Ducatu contra prædones & latrones hac in parte procedendum sit, habetur *in dicta conventione* §. Auch soll alsdann: his verbis: Auch soll alsdenn hiebenebens diß Mittel gebraucht werden/ daß an allen umliegenden Oertern der Ende/da der Angriff geschehen/ von den Cantzeln abgekündigt werde: daß den jenigen/ so diese heimliche Räuber beglaubter weise entdecken und anzeigen würden/ ein

ein gewiß Geld/aus den Chur-und Fürstlichen Rentheyen/welches/ nach Gelegenheit des Raubes/ zu vermehren oder zu vermindern/ solle gewiß uñ unfeilbar gerichtet werden. Welches Geldes die Herrschafft so solches giebt/sich aus des Räubers Gütern(ob er einige hat) hiewieder zu erholen und bezahlt zu machen. Kämen denn aber auch solche Fälle vor/ do es der Nachjagt bedürfft/ sollen alle und jede/ die J. J. J. J. J. Chur-und F. F. F. F. G. G. G. G. G. Chur- und Fürstenthümen der Gerichte halben einige Versöhnung zu thun schuldig/ auff die erste Anzeige/ so ihnen durch die Beschädigten/und Beraubten selbsten/ oder aber durch die Strassen-Bereuter/ Hoff-Fiscalen und andere/gläublich geschehe:schuldig und verbunden seyn/ in continenti zu verordnen/ daß den Räubern in so starcker Anzahl nachgejaget werde/ daß man ihrer mächtig werden kan: Es soll auch an alle umliegende Flecken und Oerter *incontinenti* geschrieben werden/gleichfals hiezu zu thun/und den Räubern nach zu eilen/&c. In seqventibus etiam disponitur, qvod pulsu campanæ signum dari debeat, & qvod ii, qvi perseqvuntur, terminorum provincialium rationem habere non debeant, dörffen sich deßfals an keine Land-Grentze kehren/ etc. & judices locorum deprehensos istos prædones tenentur capere, sub gravissima pœna, bey Verletzung ihrer Dienste/oder auch Ehren-Standes gar: Debent etiam omnes sive nobiles sive ignobiles in talibus carceribus servari, in qvibus ii, qvi capitale flagitium commiserunt, custodiri solent, idqve per *dictam conventionem Principum*. Et sic colliguntur seqventes Aphorismi ex dicta Constitutione 1. posse per pastores Ecclesiarum denunciari populo, ut qvicunqve sciat maleficum, eum detegat aut comminando pœnam, si occultent, aut promittendo præmium. Et posset in gravissimo scelere v. g. proditionis & rebellionis, comminationis incendii, in furto omnium maximè, fieri comminatio excommunicationis per *Extravagantem de furtis*. Secundo notabile est, qvod Expensæ reqvirendorum reorum ex bonis raptoris, homicidæ, & similium repeti possint, ne reqvisitio hæc Magistratui nimis gravis sit. Tertio notandum interdum ob solam qverelam perseqvi judicem posse maleficos, si in fuga sint & periculum in mora. 4. In crimine Robbariæ judicem qvi perseqvi cæpit reum in suo territorio, transfugientem in aliud & ibidem

apprehendere posse, qvod alias jure communi non habet locum *Gometz l. 3. tit. 9. n. 5. Ant. Matth. d. tit. 14. c. 1. n. 3.*

14 Indicia autem, qvibus judex ad capiendum movetur, si tempus id patiatur, in scripturam conjicere & decretum de capiendo literis consignare expedit, *Farinacius dict. qvæstion. 27. num. 130.* A qvo decreto appellari potest, qvia ab omni interlocutoria appellari potest, qvando gravamen per definitivam emendari non omnino potest, *l. 1. §. 1. de appell. l. 2. de Appell. recip.* Sed interdum judex spreta appellatione decretum hoc exeqvi potest, v. g. si in flagrante crimine deprehensus, aut publico id expediat *Ant. Matth. d. t. 14. c. 2. n. 9.*

15 Sane ad nudam qverelam vel denunciationem partis læsæ sine aliis Præsumtionibus aliqvis carceri mancipari non facile debet, si vel maximè cautionem denunciator offerat, ut rectè tradit *Carpzov. d. l.* licet enim cautione præstita, indemnitatem pars læsa judici præstare debeat, non tamen officio suo rectè functus est judex, qvod sine causa in carcerem aliqvem detrusit. Sane fragilis est illa cautio, nam si qvis petat aliqvid contra jura, & cautionem præstet, ex hac cautione nulla actio. V. g. petit aliqvis à judice, ut me in carcerem compingat sine causæ cognitione, præstat cautionem, non putarem dari regressum judici à me injuriarũ convento contra caventem, qvia turpium nulla obligatio *l. 12. §. 11. ff. Mandati* qvamvis autem *Bart.* & alii putent, judicem evitare posse pœnam, si injustè incarceratum, sub fidejussione dimittat, cum incarceratus videatur fateri se justè incarceratum, cautela tamen injusta est; non enim statim qvi fidejussorem sub conditione dat, debitum fatetur, *Hering. de fidejuss. c. 5. n. 158. Oldek. tit. 3. obs. 3.*

16 Sed si infirmitas vulnerati denunciantis concurrat, sufficit denunciatio hæc ad capturam, *Farinac. d. qvæst. 27. num. 129.*

17 Debet etiam judex discrete mandare apprehensoribus, ut sine discrimine vitæ capiant, nec jubeant vivum aut mortuum deducere, nam tale mandatum illcitum, nisi salus Reip. hoc postulet, aut capiendus resistat &c. Conf. *Ant. Matth. d. l. 1. n. 14. Oldek. tit. 13. obs. 1. Farin. q. 32. n. 44.*

18 Sed qvid de confessione alicujus facinorosi, si is confiteatur de alio criminis socio, annè ob hanc inculpationem statim ad carcerem

cerem

cerem rapiendus est ille, qvi inculpatur? Et sane si confessio sit spontanea, ac cum circumstantiis, & facinorosus constanter in ea confessione perseveret, inqve personam inculpati probabiliter cadat suspicio, nec inter eas personas inimicitia intercedat, tunc ob hanc confessionem aliqvem licite incarcerari posse, mihi dubium nullum est, ob *artic. 31. Ordin. Crim.* Ubi talis confessio etiam ad torturam sufficere dicitur.

Sed si tales qvalitates non concurrant cum confessione socii, tunc judex non facilè ad incarcerationem properabit, nisi aliæ conjecturæ ipsum impellant.

Sanè si indicia leviora videantur, qvàm ut à captura initium faciat judex, non spernendum est consilium *Carpzov. d. l. num. 38.* debere scil. judicem eo casu per ministrum judicii reum verbaliter citare, ac de crimine interrogare, ejusq; responsionem diligenter annotare, qvod si autem reus non comparendo, vel variando, ac titubando in responsione se magis suspectum reddat, ad incarcerationem procedere potest. Et licet soleant citati desiderare, ut causa citationis ipsis significetur, anteqvam compareant, ea in re tamen repulsam merito ferunt, qvia oportet parere superiori. Nec hoc in criminalibus facere tutum est; solentqve magis citati se ipsos hac in re facere suspectos: Ideoqve tales refractarii nolentes comparere, nisi causa significetur, sæpe compelluntur. 16

Consideranda & cum persona incarcerati conferenda est Qvalitas carceris, ut sit locus tolerabilis, nec debet inqvisitus includi carceri obscuro & tetro, sed claro & lumini solari obvio, & si forte tempore nocturno tutiori custodia ac obscuriore carcere includendus sit, orto tamen sole ad clariorem carcerem reducendus est, ut à lumine solari vegetetur. Ideoq; qvi subterraneis carceribus miseros includunt, pro homicidis habendi, atq; hæc habentur in *l. 1. C. de cust. Reorum:* Die Gefängnüß soll zur Erhaltung und nicht zur schweren Peinigung der Gefangenen gemacht und zugerichtet seyn/ *art. 11. Ord. Crim.* Et carcer ad continendos, non puniendos homines haberi debet, *l. aut damnum 8. §. Solent. 9. ff. de pœnis.* vide qvæ hac de materia congessit *Farinac. d. qvæst. 27. num. 95. &c.* Personæ vero habenda ratio, an sit suspecta de fuga, an senex, an juvenis, an robustus, an debilis, an habeat complices 20

& soda-

& sodales, qvo casu reus ita habendus & custodiendus, ut nemo cum eo colloqvi possit de excusando crimine aut fuga capessenda *Gomez tom.3. c.9.n.6.Oldekop.tit.3.obs.11.*

12 Qvamvis autem interdum, ob defectum carceris benè muniti (nam extra hunc casum, i. e. qvando locus carceris satis est tutus & munitus, ut metuendum non sit, ne effugere possit, ne qvidem in atrocissimis delictis, imponendæ sunt manicæ ferreæ ac compedes, *Farin. d. qvæst. 27. n. 101.*) vinculis & ferramentis ligari & custodiri possint, non tamen id facile faciendum, nisi reus jam sit convictus *l. 2. C. de exhibend. reis Ruland. de commiss. p. 2. lib. 4. cap 7. n.* 2. Et debebat judex, qvi merum imperium habet, dè munito carcere sollicitus esse, anteqvam casus offeratur. Non igitur probanda est nonnullorum crudelitas, qvi in vinculis etiam istis inveniendis ingeniosi sunt, & ne vigiles addere cogantur, talibus utuntur vinculis ferreis, qvibus omnia membra corporis constricta sunt qvæqve ossibus arctè inhærent, qvæ vincula ipsa torturâ sunt atrociora, ideoqve si talibus judex utatur, vel intolerabili carcere cruciet facinorosos, à superiori pœnis arbitrariis, etiam privatione Imperii meri coërceri potest & debet.

22 Qvamvis autem locus sit vinculis, compedibus, & ferris, scilicet qvando locus carceris non est satis tutus, ut jam dixi, non tamen debent hujusmodi ferramenta talia esse, ut carcerato dolorem seu cruciatum adferant, post alios allegatos *Farinac. d. qvæst.27. num. 103.* Ideoqve qvando aliqvis in tetro carcere vel in vinculis detinetur, potest apud Cameram Spirensem, vel alium superiorem conqveri & mandatū cum clausula de relaxando petere *Gail. lib. 1. obs. 26. & 78.* qvod mandatum ab eo, qvod sine clausula est, parum differt, *Ruland. de Commiss. p. 2. l. 4. c. 1. lit. O.* Vel si judex neget crudelitatem carceris, petendi ab incarcerato vel cognatis Commissarii, ut ab iis carcer inspiciatur, & judici qvomodo invenerit, referatur, qvalia exempla refert *Ruland. d. c. 1. n.* 9. Nec hic citatione opus esse puto, nisi qvando testes essent examinandi *Gail. l. 1. obs. 26. n. 9.* licet dissentiat *Ruland. d. l. c. 2.* Præsentes tamen Commissarii, commissionis suæ certiorem facient judicem, interdum ipsum incarceratum, ejus certè cognatos, judicemqve compellant aperire carcerem *Rulandus d. l.c.4 & seqq.* ubi

ubi totum processum refert. Qvod si autem incarceratus in custodia mortuus reperiatur, præsumptio est contra judicem, aut custodes: Ideoqve de causa mortis à Superiori inqvirendum, Conf. *Oldekop.tit.3. obs.12.*

Et omnes alias consvetudines disertis verbis prohibet Imperat. *in Ord. Crimin. art.218. ibi*: So werden auch an vielen peinlichen Gerichtē und derselbe mancherley Mißbräuche gefundē/als daß die Gefängniß nicht zur Verwarung / sondern mehr zur Peinigung der Gefangenen und Eingelegten zugericht/rc. 23

Hoc etiam advertendum, ne viri & mulieres eodem carcere includantur, sed pro utroqve sexu separatus carcer habeatur, *per l. 3. C. de custod. reorum.* Nec enim illud qvod Justin. *in Authentica subjecta* de mulieribus ob crimen atrox monasteriis includendis constituit, observatur, sed potius, qvando præsertim crimen est atrox & gravissimum, mulieres, cæterum honestæ, non in monasterio, sed publico carcere, separato tamen à conversatione virorum, includuntur, de qva consvetudine attestantes adducit *Farinacius qvæst. 27. n.52. in fine*: aut in aliqvo cubiculo palatii judicis vel aliqva domo sub honesta custodiâ vel cum fidejussione ponuntur, juxta *Clarum qvæst. 28. & Ambrosinum d.tract.lib.2. cap.1.n.11.* 24

Illud hic obiter monemus, si alicui magna sit copia captivorum, ut in majoribus civitatibus, qvod tunc juxta Imperatoris constitutionem *in l. ult. C. de custod. Reorum.* Præfectus carceris, singulis mensibus, potestati seu judici criminali suggerere debeat nomina & crimina ætatum, atqve ordines captivorum, ne incarcerati alicujus obliviscatur judex, & ut omnes citò vel absolvantur, vel condemnentur, ne diuturno carcere macerentur. 25

Qvod si etiam plures sunt inqvisiti ejusdem facti complices, constituit Carolus Imper. *art. 11. Constitut. Crimin.* ut non in eodem, sed distinctis carceribus detineantur atq; segregentur. Daß man sie/so viel gefänglicher Behaltung halber seyn mag/ von einander theile/additur etiam ratio: Damit sie sich unwarhafftiger Sage mit einander nicht vereinigē/oder wie sie ihre That beschönē wollen/ unterredēmögen. Qvæ verba generaliter nulla habita ratione sexus scilicet à se invicem, qvod non tantum fœminæ à maribus sed etiam mares à maribus separandi, intelligenda esse rectè probat 26

Matth. Steph. ad d. artic. 11. num. 7. & Carpzov. de qvæst. 111. num. 6

27 Nec hoc omittendum, eum qvi gravi infirmitate decumbi vel graviter vulneratus est, non esse carceri includendum, sed po tius eum judex fidejussoribus committat, vel domi per vigiles i psum custodiat, ut domi melius curari possit *Farinac. d. qvæst. 27 num. 87.*

28 Qvando igitur in vinculis jam degit inqvisitus, vel potius in qvirendus, tunc scire oportet judicem ea omnia, qvæ in process inqvisitionis ipsum facere oportebit. Circa personam suan curabit, ut ante omnia imploret Divinum auxilium, qvia Deus da sapientiam sapientibus, & scientiam scitis & intelligentibus. Ips revelat profunda & abscondita, novit, qvod in tenebris est, & lu cum eo habitat, *Daniel. 2. v. 21. & seqq.*

29 *Deinde* judex debebit sibi in tabula breviter repræsentare to tum processum, ejusq; summarium sibi conficere, ita enim qvasi in speculo facillimè pervidebit, qvid faciendum, qvid omittendun sit, qvid plenius, qvid levius attingendum, & ita processum feli cissimè, Deo secundante, ad finem producet, monente ita *Ambro sino de processu informat. lib. 2. cap. 2. in fine.*

30 Accedat autem judex *tertiò* ad examen cum timore Dei, & animo ab affectibus, ira præsertim & avaritiâ vacuo, & in solam ve ritatem animum intendat suum, *Flamin. Chartar. in Pract. interrog reorum lib. 2. cap. 1. num. 4. & 6.* ubi dehortatur judicem, ne contra reum excandescat.

31 *Qvartò* liberare debet animum à personarum acceptione nunqvam te timidiorem, ait *Ambrosinus d. cap. 2. num. 15.* ad verita tem indagandam faciat ipsa nobilitas rei, ipse Magistratus, ipsæ divitiæ; nunqvam te ad illam reperiendam temerarium & præci pitem reddat ipsa paupertas, vilitas personæ, sed omnes reos hac in parte, & ratione affectionis ac scopi seu intentionis ita habeto, ac si ejusdem essent qvalitatis, status & conditionis, eademqve se veritas & gravitas sit semper erga qvoscunqve. Qvanqvam *num. seq.* urbanius cum nobili reo agi posse concedat, ut honor ei exhi beatur debitus.

32 *Qvinto* nec severè nimis, nec familiariter nimis cum inqvisi tis loqvatur *Chart. d. l. num. 6. & 11. per l. 19. ff. de offic. præsid. l. 9. §. 2.*

§. 2. ff. de offic. proconſ. vultum tamen debet præ ſe ferre gravem & qvaſi terribilem, ut vult Imperat. *Nov. 17. cap. 5. §. ult. Chartar. d. l. num. 8.* qva parte tamen diſtinguendum eſt inter perſonas; alii enim aliis molliores ſunt, alii duriores: Erga hos terribilem, erga illos humanum ſe oſtendere debebit.

Ratione ipſius examinis obſervandum judici, ut non ſummarie examinet, qvia ita veritas circa circumſtantias non poſſet rite erui, ſed ad articulos reum reſpondere compellat, id qvod experientia qvotidiana non tantùm in foro Saxonico, de qvo *Carpzov. qvæſt. 13. num. 16.* Sed etiam in noſtro Electoratu comprobat, dum ita qvotidie reſpondere ſolemus: Daß *Inqviſit* auff gewiſſe Articul abzuhören ꝛc. 33

Reſpectu ergò ipſorum articulorum inqviſitionalium vel interrogatoriorum notandum *primò*, qvamvis à Notariis nonnullis articuli inqviſitionales, ut poſitiones affirmativè proferri ſoleant hac formula: wahr/ daß an dieſer That *Inqviſit* ſchuldig/ ꝛc. minus rectè tamen id fieri non dubito. Nam articuli inqviſitionales nihil aliud ſunt, qvam interrogationes à judice faciendæ, qvæ non ſunt poſitivè proponendæ, niſi notorium eſſet delictum. Deinde multum intereſt inter poſitiones, qvas proponit pars, & eas veras eſſe aſſeverat, qvas etiam mediante juramento dandorum ſe confirmaturam promittit, & inter articulos inqviſitionales, qvos judex nondum pro veris habet, ſed in veritatem eorum ex indiciis præcedentibus vult inqvirere. Ideoqve non poteſt ſalvâ conſcientiâ, imo ne qvidem ſine injuria inqviſiti dicere verum eſſe, ipſum v.g. adulterium commiſiſſe & ſi articuli affirmativè formarentur, circumſtantias ipſi ſuggerere neceſſe eſſet contra prohibitionem Carolinam. Adde, qvamvis ipſi conſtaret de veritate admiſſi criminis, multa tamen alia ocurrere, de qvibus reus interrogandus, qvæ non niſi per modum interrogationis proponi poſſunt, v.g. an inqviſitus alia etiam furta commiſerit, ubi ineptè judex ita formaret articulum: wahr/ daß *Inqviſit* auch andere Deuben begangen/ ꝛc. Reſpondere enim poſſet inqviſitus, falſum hoc eſſe, & ſibi per injuriam hoc imponi & qvomodo poſſet aſſertive dici, hunc & illum fuiſſe adjutorem ſvaſorem &c. & ſi aſſertive proponatur articulus, judex nunqvam de veritate criminis certiorabitur. Et 34

certè si praxin Italorum, qvi sunt hujus artis peritissimi, attendamus, non solent, nisi per modum interrogationis, articulos suos proponere, ut ex *Scaccia*, *Follero*, *Flamminio*, *Chartario*, *Tranqvill. Ambrosino aliisqve* apparet. Qvamvis autem videamus qvòd in processu ordinario criminali interdum assertivè proponi soleant articuli, id tamen tunc fieri potest, qvando accusatori crimen ejusqve circumstantiæ omnes satis sunt cognitæ. Sed nos de Inqvisitorio processu loqvimur. Sed & in processu ordinario, qvando vel procurator fisci vel Syndicus vel privatus accusat, melius esse puto; ut per interrogatoria proponantur articuli. Nam si Accusator super circumstantiis positiones affirmativas faciat, tunc suggerit responsionem, & peccat contra *Carol. Const. art. 56. ibi*: keinem Gefangenen die Umbstände der Missethat vorsagen. *In rubro & nigro.* Idem est periculum, qvam in Inqvisitione, cum reus pertæsus vitæ omnes articulos affirmare possit. Et securus de corpore delicti ac dolo rei certus esse non potest. Ideoqve super circumstantiis delicti, ne qvidem in accusatorio processu puto positiones affirmativas formari debere. Sed si inqvisitus neget omnia, tunc una vel altera circumstantia ipsi remonstranda est, ut infra dicetur, nam tali casu periculum suggestionis cessat.

35 *Secundò* hoc notandum, articulos ita debere formari, ut singula puncta, non nisi singulis articulis contineantur, nec uno articulo simul plura includantur, ut qvidem nonnullorum pessimus mos est. *Flammin. Chartarius d. cap. 1. num. 13. Ambrosinus lib. 2. c. 5. num. 4.* Nam si inqvisitus simplex & innocens unicum interrogatorium confiteretur, totum articulum confessus videri posset, non absqve suo, periculo & veritatis præjudicio, *Carpzov. qvæst. 113. n. 33.* V. g. si qværas: Ob nicht *Inqvisit* den Anfang zur Schlägerey gemacht/ und mit dem Degen etzliche mal nach gehauen. Hic si simplex reus posterius fortè tantùm affirmare vellet, sed simpliciter affirmando responderet, videretur judici etiam prius affirmare: Sejungenda igitur sunt interrogatoria, nisi velit judex injuriam facere innocenti, aliàs à Facultate respondebitur, qvod non semel à Dominis Scabinis Lipsiensibus responsum refert *Carpzovius d. l. n. 34. & 35.* Daß *Inqvisit* noch einsten Articuls weise hierüber gefragt/ und seine Antwort auff iede Articul/ darinn nicht mehr als ein *Interro-*

gatorium

gatorium zu setzen/ absonderlich zu thun/ angehalten werde. Et sane articuli multiplices & prægnantes qvando unus duo vel tria membra habet, rejiciuntur rectissimè, in civilibus *Cacher. dec. 178. n. 1. Ummius d. 13. ad proc. n. 12.* qvanto magis id necessarium in criminalibus? Nam in civilibus, tempus habet ad deliberandum, qvid respondere velit, qvod non habet reus in criminalibus. Hæc ita liqvida, & tamen contra hæc qvotidie peccatur. Caveant ergò summoperè judices, ne plura interrogatoria uno articulo comprehendant, ne arguantur fallaciæ plurium interrogationum. 36

Imò licet unum sit factum, sed plures circumstantiæ vel qvalitates, non tamen in uno articulo, nisi una qvalitas proponenda, v.g. non debet interrogare in hunc modum: Ob nicht *Inqvisit* N. N. von hinterwerts mit seinem Degen vorsetzlich verletzet. Qvid si enim simplicior aliqvis voluisset tantum ipsum factum confiteri, non verò qvalitates? Ergo ita judex interroget: Ob nicht *reus* N. N. verletzt/ und zwar vors ander vorsetzlich/ vors dritte/ ob er hinter N. N. oder vor ihm gestanden.

Tertiò Doctores reqvirunt, ut non in specie qværatur de hoc maleficio, sed in genere, an maleficium commiserit. *Bossius in tit. de Examine reorum. num 12. & alii allegati à Chartar. dict. l. 2. cap. 1. num. 55. & seqq.* Sed id ex *l. 1. §. qvi qvæstionem 21. ff. de qvæstion.* vix poterit probari, qvia non de reo, sed teste loqvitur. Ideoqve contrarium usu receptum esse, testatur *Clarus §. fin. qvæst. 45. n. 11.* Qvamvis si reus videatur homo simplex, vel qvi tædio vitæ mortem non adeò reformidare videatur, consultius videatur, ut judex in genere prius interroget. 37

Qvartò hoc magis necessarium & utilius est, ut in articulo non exprimat circumstantiam, aut qvalitatem, aut in qva parte corporis percusserit, ne qvalitates suggerat. Nam suggestio judici omnibus modis vitanda est. 38

Id qvod jubet Carol. V. Imperat. *artic. 56.* P. H. O. ibi: Solches wird damit verderbet / wenn man den Gefangenen im Fragen dieselben Umbstände der Missethat vorgesagt/ ꝛc. Idem *ex rubrica* apparet: Keinen Gefangenen die Umstände der Missethat vorsagen/ ꝛc. 39

V. g. non qværat: Ob er Petrum mit einem Degen verletzet? Ob er ihn auff den Kopff gehauen? Ob es nicht für dessen und dessen 40

Thür geschehen? Ob es nicht zu Mitternacht ümb 12. Uhr geschehen? & similia. non ita procadat judex. Nam ita suggeret potius fugiendi modos, qvam veritatem indagabit, *Flamin. Chartar. d. lib. 2. cap. 1. num. 67. & seqq.* & simplicior reus, præsertim territus, vel in tortura constitutus, omnes circumstantias affirmabit, sicut ei circumstantiæ suggestæ sunt.

41 Ideoq; svadeo judicibus & Notariis, ut à tali interrogandi modo abstineant, sed ita interrogent: 1. Ob *inqvisit* Petrum verletzet? 2. Womit solches geschehen? 3. An welchen Ort des Leibes er ihn verletzet? 4. An welchen Orth der Stadt es geschehen? 5. Zu welcher Zeit?

42 Ita enim si nullæ exprimantur reo qvalitates & circumstantiæ, certius elicietur veritas, & judex in conscientia sua securior reddetur, qvando circumstantiæ, qvæ reo non suggestæ, sed ab ipso expressæ sunt, cum dictis testium conveniunt, aut si repugnent, meliùs poterit reus convinci falsitatis.

43 Si tamen reus simulet, se nihil scire de delicto, vel circumstantiis, tunc expediet unam atq; alteram circumstantiam exprimere, qvod sæpè solet commovere reos, ut cùm crimen suum detectum animadvertant, ultro fateantur. V. g. Si reus qvæsitus de facti homicidii tempore, respondeat se nescire: qvia eo tempore domi fuerit, & in lecto suo dormierit, tunc poterit judex interrogare sine suggestionis vitio: Ob er nicht dem und dem auff der Gassen begegnet? Ob er ihn nicht gegrüsset/rc. juxta practicam *Chartarii d. cap. 1. num. 98. &. Ambrosini lib. 2. cap. 5. num 27.* Imo etiam possent argumenta inartificialia statim & ex abrupto inqvisito præsentari, si literæ adsint, ex qvibus de conspiratione, proditione, furtivis amoribus, de incantamentis, de falso &c, constare possit in continenti, vel si præsententur statim criminis complices, uti hâc methodo nonnullos statim confessos legimus.

44 *Qvintò* svadent Doctores criminalium causarum, ut judex non semper eundem ordinem observet, sed pro diversitate ingeniorum etiam diversimodè procedat. Si enim reus sit simplicior, poterit primò reum interrogare, ex qva causa sit captus & carcere detineatur, deindè ad ipsam rem rectâ viâ devenire, ac super indiciis ipsoq; delicto eum interrogare potest.

Qvod

Qvod si verò reus videatur versutior, tunc altius repetendum examen, & primò interrogandus est super his, qvæ non adeò directè ad præsentem materiam criminis facere videntur, vel qvæ reus illicita esse non putat, ut de actibus superstitiosis, de conversatione cum illa persona &c. Ideoqve eo casu aliqvo circuitu ad id perveniendum est, & ita longè examinatione repetita. Respondebit enim inqvisitus, qvæ nocere causæ non arbitrabitur, ex qvibus deinde, qvæ confessus erit, eò perducetur, ut qvæ dicere non vult, negare non possit, *Flamin. Chartar. in Pract. interrog. reorum lib. 3. cap. 1. num. 5.* v. g. Ob *Inqvisit* nicht Petrum kenne? wie lange er ihn kenne? Ob er Freundschafft mit ihm gepflogen? Ob er sich nicht mit ihm verzürnet? Wo solchs geschehen? rc. Ob er nicht mit ihm eine Sache vor Gericht gehabt? rc. 45

Qvod qvamvis captiosum videri possit, non tamen est, nam eo interrogandi modo non contra simpliciores utendum, sed eos qvos apparet esse versutiores, & ad omnia negandum instructos. Deinde reus urgendus est semper, ut veritatem dicat, qvod si faciat, non debet vereri, ne suis responsionibus convincatur: Sed si dolosè falsum dixerit, tunc sanè ejusmodi ordine felicissimè confundi, & ex propriis responsionibus, quas ad articulos tum reposuit, cum nondum sciret, qvò tenderent, convinci poterit. Nec etiam ita formanda interrogatoria, ut innocens confundi, sed tantum, ut versutus homo in mendacio deprehendi possit. 46

Ideoqve hac in re judicem discretum, prudentem, & pium esse oportet, & debet judex scire mores ac ingenium incarcerati, qvod ex inqvisitione generali, & fama discere potest. Sane judicem pro ratione personarum aliter atqve aliter interrogatoria formare posse, ipse innuit Imperat. *art. 46. Ordin. Crimin.* ibi: Mit Worten/ wie nach Gelegenheit der Person und Sachen rc. allerbest dienen möge rc. 47

Non tamen autor esse volo, ut judex impertinentibus articulis utatur, & percunctetur ea, qvæ nihil ad rem faciunt præsentem, modò nihil omittat eorum, qvæ ad causam & substantiam delicti attinent, *Chartar. d. cap. 1. num. 72.* Sed habere solent sæpe inqvisiti ea pro impertinentibus, qvæ impertinentia non sunt. Ut si qvis interrogetur super delictis juventutis, super stupro, vel super libello famo- 48

famoſo aliqvando à ſe propoſito. Nam licet horum forte delictorum pœnas tulerit inqviſitus, faciunt tamen ad hoc, ut ſciat is qvi ſententiam ferre debet, qvæ fuerit inqviſiti vita antea acta, qvod ſcire eum maximè oportet.

49 Ideoqve *ſextò* Judex etiam ſuper iis circumſtantiis reum examinare debebit, ex qvibus innocentia ejus apparere poſſit. Nam judex debet etiam ea inveſtigare, qvæ ad defenſionem atq; innocentiam rei faciunt, & omnis inqviſitio ita facienda eſt, ut non tantùm non auferantur inqviſito defenſiones ſuæ, ſed etiam ut eæ faciliores reddantur, & ut reus, ſi innocens ſit, ſe tueri faciliùs poſſit, ut ex *Jacobo Schultes ad Mod. Piſtor. qvæſt. 125. Bened. Carpzov. d. qvæſt. 113. num. 36.* loqvitur.

50 Exemplo rem declarabo, qvando muliercula fatetur, ſe edidiſſe partum, ſed mortuum, & ſe fuiſſe ſolam, nullam ſe vim intuliſſe infantulo, indicium hoc eſt ſufficiens ad torturam, juxta *art. Ordin. Crimin. 131. in fine.* Sed cum poſſibile ſit id, qvod muliercula aſſerit, ideoqve judex in circumſtantias inqvirat, qvo tempore concubuerit cum ea ſtuprator; & ſi reſpondeat, illa vel illa Septimana & die, interrogandus etiam eſt ſtuprator de tempore, nam ex tempore innocentia inqviſitæ apparere poteſt, v. g. Si appareat, non eſſe illud tempus perfecto fœtui conveniens, vel tempus illud non eſſe infantis vitalis.

51 Imò Judex, qvod *ſeptimum* eſto, debet ex officio inqvirere, an inqviſitus ex circumſtantiis vel aliter docere innocentiam ſuam poſſit: Nunqvid ſe eo tempore alibi & non in loco delicti fuiſſe, demonſtrare poſſit, juxta *Conſtitut. Crimin. art. 47.* ibi: Wenn in dem Fall der Beklagte die angezogene Ubelthat verneinet/ so soll ihm als denn fürgehalten werden / ob er anzeigen könte/ daß er der auffgelegten Missethat unschuldig sey. Und man sol den Gefangenen sonderlich erinnern/ob er könte beweisen und anzeigen/ daß er auff die Zeit / als die angezogene Missethat beschehen/ bey Leuten/ und an Enden und Orten gewesen sey/ dadurch verstanden/ daß er die verdachte Missethat nicht gethan haben könte. Additur ratio: Und solche Erinnerung ist darümb noth/ daß mancher aus Einfalt oder Schrecken / nicht fürzuschlagen weiß/ ob er gleich unschuldig ist/ wie er sich des entschuldigen und ausführen soll. Sic ſi qvis homicidium

neget

neget, debet interrogari, an non suam innocentiam probare possit, an non sciat alium, qvi capitali odio occisum prosecutus sit, an non possit docere rixam inter se & occisum aliqvando subortam fuisse reconciliatam, an possit probare, vulneratum non ex vulnere, sed alio morbo, decessisse?

Et si his vel aliis ad rem pertinentibus argumentis inqvisitus 52 se purgârit, judicis partium erit de veritate purgationis per testes inqvirere, sumptibus ipsius inqvisiti, vel si inops sit, ex publico sumptus suppeditandi sunt, ut pluribus explicat ipse Imperator *in dict. artic. 47. h. v.* ibi: Und so der Gefangene obberührter massen / oder mit andern dienlichen Ursachen seine Unschuld anzeigt / solcher angezeigten Entschuldigung sol sich alsdeñ der Richter auf des Beklagten oder seiner Freundschafft Kosten auff das forderlichste erkundigen / ꝛc: Et post pauca: Wo aber der Verklagte oder seine Freundschafft solchen obgedachten Kosten Armuths halber nicht ertragen oder erleiden möchte / damit denn nichts desto minder das Ubel gestrafft / oder der Unschuldige wider Recht nicht übereilet werde / so soll die Obrigkeit oder das Gerichte den Kosten darlegen / und der Richter im Rechten fortfahren. Sed de defensione plura suo loco, hîc tantum de interrogatoriis formandis sermo est, ita ut ex interrogatoriis innocentia rei, si innocens sit, apparere possit, & ut hic in examine Rei, qvasi præparatoria fiant ad futurum processum defensionis.

Octavò, cavendum judici, ne confessionem eruat promissione 53 impunitatis, à qva qvantum fieri potest, abstineat, atq; aliis justioribus modis studeat veritatem delictorum invenire, *Clarus §. fin. qvæst C. 5. num. 8. Flammin. Chartar. lib. 2. Tract. interrogat. reorum c. 2. n. 24. Benedictus Carpzovius d. qvæst. 113. num. 50.*

Nam licet simulare aliqvid liceat judici ad eruendam veri- 54 tatem, longè tamen aliud est fingere, vel simulare, qvod fecit Salomon; aliud est mentiri. Deindè confessio ista promissione impunitatis elicita ad condemnandum minimè sufficeret, ut prolixe tradit *Farinac. qvæst. 81. num. 76.*

Aut enim judex superior est, cui licet gratiam delicti facere, 55 aut est inferior, qvi id facere neqvit. Priori casu impunitatem promissam servare tenetur, ut probat *Farinac. d. qvæst 81. num. 277.*

& num. 280. modo id facere possit ratione conscientiæ, nam si pro detegendo homicidio promissa esset impunitas, hæc ratione conscientiæ contra jus Divinum servari non posset. Posteriori casu vanus & mendax judex, qvi id promittit, qvod suæ potestatis & arbitrii non est.

56 Nec illud admittendum, qvod *Chartar. d. l. n.30.* loco limitationis dicit: licere judici hac cautela uti, qvando per testes de delicto certò constat; Id sanè nunqvam probandum est, nam & hoc casu mendacium esset, & qvo fine extorqveret judex confessionem Rei? Si enim convictus est reus per testes, non amplius adeò desideranda est illius confessio. Illa melior limitatio, qvando delictum esset valde occultum, & illud tamen detegi Reip. interesset, ut si fama sit de conspiratione paucorum contra Rempubl. *l.5. §. ult. de crim. Majest.* vel diffidatoriæ literæ ac comminatoriæ affixæ reperiantur, qvæ toti civitati metum incutiunt, vel si grandia furta commissa & similia, qvibus casibus si prodenti promissa impunitas, ei servanda, *Oldekop. tit. 4. obs 18. num.6.* Et ubi delictum habet extraordinariam coercitionem, & persona videatur commiseratione digna, ob aliqvas circumstantias, potest à superiori judice promitti impunitas, vel mitigatio pœnæ, sicut etiam à Facultate responsum memini.

57 Sed hic commodè qværitur: *an non judex ad eliciendam veritatem cautelis honestis & non ad decipiendum directis uti possit?* Et qvamvis de cautelis aliàs non malè dicatur, vulgò eas honorem afferre judicibus & Advocatis in hoc seculo, in alio tamen ædificare ad gehennam, ut ex aliis refert *Chartarius dict. c.11. num.18. & Sigism. Scaccia lib.1. de civil. causis & Crimin. cap. 86. num.35.* & ideò *artic. 100. Constitut. Crimin.* severè prohibitum, ne judex utatur interrogationibus captiosis & non necessariis. Interdum tamen non adeò absurdum, si cautelis judex utatur, non ad decipiendum, sed ad fraudem excludendam, qvo fine etiam in civilibus tolerantur cautelæ, *l.77. §.31. de Leg.2. l.1.§.2. de dolo malo. Hill. in Donell. l.18. c.3. lit. Ilu.*

58 Qvemadmodum apparet ex facto Salomonis, qvod habetur *1. Reg. cap. 3.* allegatum *in cap. affert X. de præsumt.* Sic Claudius Cæsar matrem negantem qvendam juvenem, qvi verè ejus filius erat,

erat, proprium filium esse, coegit ad confessionem veritatis, indicto ei cum ipso juvene matrimonio, ut *Tranqvillus in vita Claudii* memorat *cap.15.* Et Carolus Magnus certus, qvod vel pater vel filius, qvos captivos detinebat, aliqvem occidisset, incertus tamen, uter eorum fecisset, jussit utrumqve suspendi, donec pater, qvi verè deliqverat, fateretur, se occidisse, & filium innocentem liberaret, ut ex aliis refert *Flamminius Chartar. dict. lib.2. c.1.n.48.*

Sed cautè his cautelis utendum; nam scimus nonnullos ficti supplicii & simulati metu obiisse: Qvalia exempla memorat *Paris de Puteo de Syndic. in verbo, Tortus, cap.11. num.1. Boss. tit. de Exam. reor. num.4. & Chartar. d. cap.1. num.51.* 59

Et ex hoc capite etiam defenduntur territiones reales & verbales, qvando judex præ se fert qvasi torqvendus esset inqvisitus. 60

Et huc pertinet cautela illa, qvâ judices uti possunt, si ita loqvantur, ac si omnia jam scirent, nec qvicqvam eis esset de crimine occultum; sed præcavere tamen debent, ne dicant se certò scire autorem delicti, cum tamen nesciant. Ita enim contra veritatem mentirentur, mentiri autem semper est illicitum, juxta *Domin. de Soto de just. & jure lib.5. qvæst.7. artic.4. & Chartar. dict. cap.2. num.80.* Sed cautè potest inqvisitor ita loqvi, ut inqvisitus credat, non esse inqvisitori ignota sua delicta. Et hic prudentia opus est & moderatione, ne mendacium ullum dicatur, juxta *Chartar. dict. num.78.* Poterit enim his & similibus modis reum compellare: *Non est occultum ubi fueris, qvid designaris, convinceris testibus vel poteris ad confessionem veri ea ratione adigi, qvæ tibi non placebit. Des Deo gloriam & fatere delictum, qvod occultum manere neqvit &c.* 61

Nonò notandum, articulos debere ex indiciis formari, postqvam enim ex generali inqvisitione apparet, aliqvem esse indiciis gravatum, tunc in speciali inqvisitione ex indiciis formandi sunt articuli, v. g. apparet ex generali inqvisitione, qvod contra aliqvam militent indicia magiæ. *Primum* indicium est, qvod minata fuerit se velle diabolo ipsum torqvendum dare. *Alterum* indicium est, conversatio cum veneficis. *Tertium* est, qvod suspectis usa fuerit gestibus, hinc ergo tales articuli formandi: Ob sie nicht N.N. kenne? Was an dem Orte und Tage für Worte zwischen ihnen gefallen? Hic potest adigi, ut omnia, qvæ tunc ultrò citroq; di- 62

cta sunt, referat, Was sie mit denẽ Worten gemeinet? Ob sie nicht N.N. zu bezaubern gemeinet? Ob sie solches thun könne? Ob sie nicht N.N. kenne? Ob sie mit ihr umbgangen? Aus was für Ursachen? rc. Ideoq; necesse erit, ut judex judicia singulorum criminum ex Constitutione Carolina colligat.

63 *Decimò* debet judex perspectam habere naturam delicti, ejusqve qvalitates & circumstantias, ut ad hæc interrogatoria sua dirigere possit: V.g. qvia magi solent pacisci cum diabolo, & certis verbis uti ad incantationes suas, ideoq; qvæ Magiæ suspecta est, debet interrogari inter alia: an habeat pactum cum diabolo, an verbis qvibusdam utatur solennibus, qvænam illa verba sint: sic qvia homicidium sine armis raro committitur, ideoq; de instrumentis etiam interrogandus est reus, & sic deinceps.

64 Considerandum etiam est, an delictum grave, an leve sit, an occultum, an difficilis probationis, an freqvens, an rarum &c. qvibus omnibus & similibus consideratis, copiam interrogandi conseqvetur Judex, & qvæ simpliciter, qvæ accuratius tractanda sint, dignoscet &c. *Ambrosinus lib. 2. de proc. inform. cap. 4.*

65 *Undecimò* super omnibus circumstantiis diligenter reus interrogandus est, v.g. ex qva causa id fecerit, ubi, qvando, &c. ubi fuerit tempore commissi delicti, an conversatus fuerit cum eo, qvi ejusdem delicti consors. Nam ex his circumstantiis sæpè apparet defensio rei, & si nulla ei competat defensio, judex super veritate delicti redditur certior, & si reus circa aliqvam circumstantiam mentiatur, oritur præsumptio contra illum, ex qva melius convinci poterit, *Flammin. Chartar. d. tractat. lib. 3. cap. 1. num. 4. & 7.* Ideoq; circumstantiæ ex vulgari versiculo desumendæ, *Qvis, qvid, ubi, qvibus auxiliis, cur, qvomodo, qvando* vel ex classibus prædicamentalibus, ut ex qvantitate, numero, affectu, relatione personarum, ex gestibus, loco, tempore, situ corporis, & habitu.

66 *Duodecimò* monendus est judex, ut examen non uno actu absolvat, sed de nonnullis una vice, de aliis aliâ vice reum interroget, *Foller. in Proceß Crim. rubr. & si compar. ante contumaciam num. 4. Chartarius lib. 3. cap. 1. num. 13.* Idq; verum est, si reus sit homo versutus, versipellis, & ad omnia neganda promptus. Nam eo casu suaderem, ut postqvam super generalibus interrogatoriis, & causa

carce-

carceris examinatus eſt reus, hicq; totum negotium ſummariè enarravit, judex finem primo examini imponat, & reſponſa Rei accuratè perpendat, & interrogatoria ſpecialia ita diſponat, ut reum ad verum dicendum cogere poſſit. Qvamvis etiam abſoluto examine, ad additionales articulos reſpondere cogi poſſit inqviſitus, ſi ex reſponſionibus datis novæ circumſtantiæ ſe offerant, *Carpz. q. 113. num. 43.* aut ſi ex atteſtatis teſtium nova indicia emergant, ut ex Mevio ſupra dixi. *n. 3.*

Decimò tertiò ipſe interrogatoria, qvalia proponenda ſint, ſcire judicem oportet: Sunt autem interrogatoria duplicia, alia generalia, alia ſpecialia. In *generalibus* interrogabit judex. 1. de nomine inqviſiti. 2. de parentibus. 3. de patria. 4. de ætate. 5. de educatione. 6. de vitæ conditione hactenus inſtituta. 7. de fortunis. 8. an hactenus de crimine aliqvo ſit diffamatus vel condemnatus, & ſimilibus. *Chartar. dict. cap. 1. num. 17. & ſeqq.* 67

Specialia autem ipſum delictum concernunt. Et hic primò interrogandus eſt, an ſciat vel ſaltem præſumat cauſam ſuæ capturæ, vel præſentis examinis, qvomodo & qva de cauſa captus ſit, ut hinc occaſio detur interrogandi, & ideò juxta ejus reſponſionem formari poſſint ceteræ interrogationes. 68

Si autem cauſam expreſſerit veram ſuæ carcerationis, poteſt judex mandare, ut facti ſeriem recenſeat à capite usq; ad calcem, & poſtqvam illam ſine interruptione (à qva cavendum eſt) recenſuerit, debet ſeriatim ſuper his, qvæ omiſit & obſcurè dicta ſunt, interrogari, ad majorem rei elucidationem, qvod ex aliis proponit *Flamminius Chartarius dict. lib. 2. cap. 1. num. 30. & ſeqq.* Ab interruptione autem propterea cavendum, qvia hæc efficere ſolet, ut referens factum alicujus circumſtantiæ obliviſcatur: Ergo licet mentiri ſciat reum judex, abſolvere tamen ſinat ſuas reſponſiones. Et licet reus ingenuè & vere factum retulerit, adhuc tamen ad articulos ex reſponſione formatus examinandus & reſpondere compellendus reus, ut ejus confeſſio ſit manifeſtior, & ne innocens forte ex confuſa confeſſione condemnetur *Carpz. d. q. 113. n. 46.* 69

Serie facti ita à reo propoſita, ſi appareat verſutum & callidum eſſe reum, ac præcipuas circumſtantias ipſum negare, ac falſa comminiſci, moram interponendam & examen hac vice ſuſpendendum 70

dum esse putarem, ut deliberare secum judex possit, qvaliter formare specialia interrogatoria debeat, id qvod scire poterit, si responsa Rei ad interrogatoria generalia & narrationem facti à reo propositam benè ponderaverit.

71 Ideoqve responsionibus Rei, qvæ à reo fortè dabuntur, qvas ex narratione facti prudens judex colliget, illa opponat interrogatoria, qvæ vel falsitatem, vel impossibilitatem, vel improbabilitatem earum responsionum coarguant, *Ambrosinus, de processf. inform. lib. 2. cap. 6. num. 13.*

72 *Decimò qvarto*, articulos ut ritè formet, debet judex formare argumentum principale totius examinis, ad qvod argumentum omnia interrogatoria debent referri. Et ut *suprà* diximus, si reus sit versutior, eo ordine, ut ab iis exordium fiat, qvæ sunt generaliora & ita reum constringat, & confessionem delicti ab ipso invito extorqveat. In minore argumenti propositione collocabuntur omnia indicia. Ea indicia ordine proponentur in articulis;

73 Nec debet directè statim versutior reus interrogari, an fecerit delictum, an fuerit eo tempore in loco delicti, qvia id procul dubio negaturus est. Sed interrogandus est reus: ubi fuerit per duos vel tres dies ante delictum vel post delictum perpetratum: v.g. si die 20. mensis Junii delictum esset patratum, interrogandus est, in qvo loco fuerit die 17. vel 18. Junii, cum qvibus comederit, luserit, dormierit, deindè qvid seqventi die egerit, qvid deinde die 20. Junii, vel Ordine retrogrado poterit judex percunctari, ubi fuerit reus die 22. Junii, qvid itidem fecerit die 21. & qvid die 20. qvi continet tempus delicti. Et si reus sit ad negandum promtus, facile poterit hac ratione de mendacio convinci. Nam si reus expresserit nomina eorum, cum qvibus conversatus illo tempore fuerit, statim ii, qvia à reo nominantur, examinandi sunt, ut de veritate vel mendacio constet, & hanc practicam describit *Chartarius dict. lib. 3. cap. 1. num. 75.*

74 Hæc de interrogationibus formandis sufficiant. Necesse jam est, ut interrogatoria ea, seu articuli inqvisitionales reo in præsentia judicis, duorum Scabinorum & Notarii jurati (nam horum præsentiam *Carol. V.* reqvirit *in Constit. Crimin. artic. 46.*) proponantur, ejusqve responsio sine Advocato, ut communis habet pra-

ctica

ctica, desuper reqviratur. Nam factum inqvisitus scit, non Advocatus, nec tenetur inqvisitus ad jura in contestatione litis respondere, nec si fecerit, ideo præjudicaret. Nec obstat *l.custodias 12.ff.de publ.jud.* qvia hæc non loqvitur de Advocato illius causæ, sed de perito alio Advocato in consilium adhibendo, nec admittenda responsio per procuratorem, *l.pen.* §.*1.ff.publ.judic.* minus in scriptis *Dn.Tabor.de Confront. D.6.c.2.th.6.* Ac per Notarium publicum excipiendæ responsiones: nec immeritò *Dn.Benedict.Carpzov.dict. qvæst.113.num. 41.* qvorundam nobilium ac Magistratuum negligentiam & præcipitantiam taxat, qvi haud rarò superficialiter criminalia tractant, ac sine Notario ipsi vel per scribas suos ac æditues responsiones reorum scripturæ mandare solent.

Sæpè autem accidere solet, ut Rei planè respondere nolint: 75
sed copiam indiciorum sibi edi petant, ideoqve hic meritò qværitur, *An inqvisitus innocentiam suam deducere volens audiendus sit, anteqvam ad inqvisitionales, vel additionales articulos respondeat?* Qvod negandum est, siqvidem responsio inqvisiti est instar litis contestationis, â qvâ judicium incipit, *l. unic. C. de litis contest.* Sicut ergò in civili judicio exceptiones, non nisi lite contestata, audiendæ, ita etiam reus defensionem prætendens, & propterea copiam indiciorum petens, prius ad articulos respondere & litem contestari debet. Et metuendum aliàs ne ex indiciis communicatis se informet, qvid respondere velit articulis, ne in mendacio deprehendatur. Et ita sentit *Clarus §.fin. qvæst.45.n.7. Neviz. consil.75. Flammin. Chart. l.3.Pract. interrog.c.2.n.22. Bened. Carpz.qvæst.115.n.25.& seqq.* Sed qvando respondit reus, tunc potest communicationem indiciorum petere. Mevius *p. 2. dec.321. n.8.*

Sed qvid si velit respondere reus, sed petat dilationem ad re- 76
spondendum, an hæc illi concedenda? Et communius receptum ac consvetudine approbatum esse testatur *Clarus §.fin. qvæst.45.n.7. Flammin. Chartarius lib.3. cap.2. num.21.* non dandam esse dilationem inqvisito, qvando super facto proprio & notabili, cujus memoria inqvisito excidere non potuit, interrogatur: In civilibus enim res ex documentis sæpius colligenda & inqvirenda, sed hic conscientia tantùm excutienda, nec facta improba facilè oblivioni traduntur. Nec in civilibus semper datur spatium deliberandi, qvando super proprio facto qvis interrogatur. Conf.

Clarus

Clarus §. fin. q. 45. n. 7. Sed hac in parte arbitrium judicis non omnino excluſerim. Videndum enim, an factum antiqvum vel recentius; an inqviſitus ad oblivionem pronus; ob qvam cauſam dilationem petat? Hæ & ſimiles circumſtantiæ benè ſunt ponderandæ.

77 Deinde qværitur: an reus compellendus ſit juratò reſpondere ad articulos, qvod in Italia receptum eſſe ex *Claro Farinacio & aliis* apparet, imò & judices imperitos interdum in Germania juramentum deferre inqviſitis, præter *Carpzov. qvæſt. 113. n. 42.* teſtis eſt Experientia. Sed practica hæc meritò improbanda: qvoties enim metus perjurii, toties juramentum exigendum non eſt, ut rectè *Clarus §. ult. qvæſt 45. num. 9.* ubi per hanc practicam occaſionem perjurii præberi teſtatur, cum reus nunqvam ſoleat ſponte fateri delictum. Ergò ſine juramento adigendi ſunt, ut ad articulos reſpondeant, nam qvi veroſimliter (ut hic) pejeraturo juramentum defert, plus qvam homicida eſt, *c. ille qvi hominem 5. cauſ. 22. qvæſt. 5. Johan. Baptiſt. Aſ. de execut. §. 8. cap 2. num. 22. Dn. Soto lib. 8. de juſt. & jure qvæſt. 2. artic. 4.*

78 Qvid ſi verò reus planè nolit reſpondere? Reſp. hoc annotari debere juſſu judicis à Notario, juxta tradita *Flamminii Chartarii lib. 3. pract. interrog. reorum cap. 2. num. 1.* Et poterit tunc reus contumax in criminibus levioribus, captis pignoribus, vel mulctæ indictione compelli ad reſpondendum; in gravioribus etiam poterit addi comminatio, ipſum aliàs pro confeſſo habitum iri, ni reſpondeat, cum alias contumax in non reſpondendo poſitionibus habeatur pro confeſſo, *c. fin. de confeſſis lib. 6.* licet in criminalibus proprie dictis hoc non ſufficiat ad pœnam ordinariam capitalem *Carpz. all. loco. num. 58.*

79 Poteſt etiam inqviſitus (præſupponimus autem indicia legitima contra eum militare) minis adigi, Daß er bey Vermeldung anderer oder schärfferer Verordnung auff die Articul antworten solle.

80 Imò etiam ſi indicia veriſimilia, torturæ mentio fieri poteſt; dicere enim poteſt judex, ſe reum, ſi in contumacia perrexerit, fidiculis ſubjecturum. Et ſi porro in contumacia perrexerit, & indiciis ſit gravatus, reus poteſt mediante tortura compelli ad reſpondendum, ſicut hanc practicam commendat *Flamminius Chartarius*

tarius d. cap.2. num.2. vel poteſt etiam pertinax ſilentium pro negatione acceptari, ut in civilibus, & ad probationem ſe accingere.

Nonnunqvam reſpondent qvidem Rei, ſed verbis ambiguis & dubiis, v. g. *non poſſum pro certo aſſerere, non recordor, poteſt ita ſe habere, & ſimilia:* Et tunc monendus reus, ut verbis perſpicuis & categoricis reſpondeat ad articulum, vel poterit jubere judex, ut reſponſiones dubias & obſcuras, priusqvam ad ulteriora progrediatur, declaret, ne poſtea reus ſuper obſcuris & dubiis propoſitionibus novas excogitet fraudes, *Flammin. Chartar. l. 3. c. 2. num. 41.* imo ſi nolit categoricè reſpondere, poterit torturæ ſubjici, non qvidem in hunc finem, ut fateatur delictum, ſed tantum, ut affirmativè vel negativè reſpondeat, *Boſſ. tit. de reſponſ. reorum. num. 4.* Nec admittenda verba æqvivoca, vel ſi ita reſpondeat, ut aliqvid tacitè ſubintellexiſſe videri poſſit, *Dn. Thabor d. tr. de Confront. d. 3. c. 3. th. 1. & 4. p. 148.* Nec admittenda reſponſio dubitativa, v. g. Das Kind mag wol gelebet haben/ ſie möchte ihm wol einen Qvips gegeben haben/ & ſimilia. 81

Sed hoc tunc habere locum notandū eſt, qvando ſuper delicto ipſo interrogatur, vel ſuper circumſtantiis ſubſtantialibus concernentibus factum proprium ipſius inqviſiti, & qvod in recenti memoria verſari præſumitur. Nam ſi interrogetur ſuper aliis circumſtantiis & qvalitatibus delicti, & reus conſtanter aſſerat, ſe hujus circumſtantiæ non recordari, tunc tortura ad reſponſionem categoricam faciendam adhibenda non eſt, ut rectè tradit *Follerius in practic. crimin. rubr. & ſi confitebuntur part. 3. num. 4. Flamminius Chartarius d. cap. 2. num. 17.* Et conſiderare debet judex, an etiam oblivio illius circumſtantiæ ſit probabilis, v. g. diei oblivio probabilis eſt, ſecundum *Boſſium dict.. tit. de reſp. reorum num. 5.* 82

Qvod ſi reus incipiat fateri veritatem, nullo modo judex examen dimittat, aut differat, ſed continuet, qvantum poterit, & inſtet, qvousq; ille perfectè dixerit veritatem, ſaltem qvoad principale negotium, nec rationem habeat vel prandii, vel cœnæ, vel ſomni, vel alterius impedimenti, ita admonet *Flammin. Chartar. d. l. 2. cap. 2. num. 20. & Ambroſinus lib. 2. cap. 6. num. 39.* freqventius enim repertum eſt, inqvit *Chartar. d. l.* qvod interruptis ita confeſſionibus reorum, qvi jam cœperunt dicere veritatem, redeant 83

ad vomitum,& veritatem,qvam aperire inceperant,habito consilio deteriori, reticeant.

84 Qvod si vero reus aliqvid respondeat,qvod verum non esse ex processu apparet,non statim illum mendacii arguat judex, sed altius repetita interrogatione interroget amplius,ut de mendacio ipsum convincere possit, *Flamminius Chartarius dict.cap. 2. num. 59.*

85 Præterea cavendum est,ne reum interrogatoriis respondentem verbis vel risu interrumpat judex, remoratur enim interruptio illa fatentem reum,& qvandoq; revocandi & recipiendi se à cœpta confessione suggerit consilium, ita monente *Ambrosino d. cap. 6. in fin.* Caveat etiam judex,ne vel admiratione, vel agitatione capitis,vel atroci vultu affectum prodat, ne ad variandum inducatur reus.

86 Compertum etiam est, interdum reos simulasse furorem & mentis alienationem,Sed tunc Medici consulendi sunt, eorumq; consilium adhibendum,an reus sit semotæ mentis,an verò tantum semotæ mentis simulatio, Examinandi sunt ii, qvi cum reo conversantur,an furorem unqvam vel mentis alienationem deprehenderint. Raro enim contingit mente sanos omnia mente captorum more facere, & propterea custodes diligenter advertent universas Rei actiones & verba, ex qvibus dementia satis probatur *Flamminius Chartarius d. lib. 3. cap. 2. num. 44.* ubi *num. 46.* metu tormentorum,imò etiam tormentis ipsis, si legitima præcedant indicia,simulationem detegi posse rectè opinatur, nam dolor jocum & fictionem non facilè patitur.

87 Considerandum etiam est in responsionibus reorum, qvibus gestibus respondeant,an audacter,an pavidè,an cum rubore, vel cum trepidatione, an pallore respondeant. Et hæc Notarius in instrumento diligenter notare debet,& qvidem ex mandato judicis, *Chartarius d. Cap. 2, num. 73. & 78.* faciunt enim gestus hi indicium aliqvod,si cum aliis gravioribus concurrant, ut per *l. de minore 10. §. tormenta 3. ff. de qvæstion.* tradit post alios *Zangerus de qvæst. cap. 2. num. 101. & seq.*

88 Qvid si verò inqvisitus de eodem facto vel eadem qvalitate denuò examinetur,qvod interdum faciendum est,& inqvisitus respondeat,se super isto interrogatorio antea examinatum fuisse,

&tunc

& tunc se respondisse, ad qvod responsum se referat, qværitur an judex ex responsione contentus esse debeat? Tractat hanc qvæstionem *Menoch. lib. 1. arb. qvæst. casu 109.* ac *Boer. decis. 108.* Sed una est tam de inqvisito qvam teste decisio, scil. qvod hoc judicis arbitrio relinqvendum sit, utrum talis responsio admittenda sit, an non, *Mynsing. cent. 3. observ. 64. Menoch. d. casu 109. num. 3.* Qvid si enim Judex velit videre, qvo vultu, qva trepidatione, inqvisitus respondeat vel deponat, juxta *d. l. de minore §. 5.*

Sed communiter Dd. duo concedunt testi vel inqvisito remedia, 1. ut petat sibi exhiberi primas suas responsiones, anteqvam respondeat, *Bossius in tractat. Criminal. tit. de responsionibus à reo faciend. num. 3. & Flamminius Chartarius dict. cap. 2. num. 86.* qvi de inqvisito loqvuntur. Et *Menoch. d. l. num. 12. & Boerius d. decis. 108. num. 9.* qvi de testibus loqvuntur. Sed judex diligenter animadvertere debet, an rationabiliter hoc petatur. Nam si verosimile non est justâ causâ hoc peti, debet judex eum repellere, ut si factum non esset adeò perplexum, nec antiqvum, vel esset recens examinatus, ut facilè ex integro posset iterum recensere, qvæ jam antea dixerat, ut judicem instruit *Menoch. dict. num. 12. & ex eo Chartarius d. cap. 2. num. 86.* Sanè inqvisito non facilè hoc indulgendum, nisi examen prius ante aliqvot annos factum. In proprio & notabili facto certior scientia, tenacior memoria, & facile se prodit mendacium in repetito examine. Igitur hanc prælectionem prioris examinis regulariter inqvisito denegandum existimarem. 89

Secundum remedium est, ut inqvisitus vel testis cum protestatione hac respondeat: *dico ut nunc mihi videtur, qvod si aliter dixerim, meam hanc responsionem ad illam primam refero, cum tunc melius horum memor essem. Boerius, Menochius & Chartar. dd. locis.* Sed hoc in teste facilius locum habet, qvam inqvisito. 90

Qvando reus ad interrogationes propositas respondit, non est statim ejus confessioni fides adhibenda, sed debet inqviri in singulas, aut saltem principaliores circumstantias ab inqvisito enumeratas, secundum *expressum articul. 54. Constitut. Criminal.* cujus hæc verba: So gemeldte Fragstücke auff Bekäntniß / die aus oder ohne Marter geschicht / gebraucht werden / so soll alsdenn der Richter 91

an die Ende schicken/und nach den Umbständen / so der gefragte der bekandten Missethat halben erzehlet hat / so viel zur Gewißheit der Warheit dienstlich / mit allem Fleiß fragen lassen/ob die Bekäntniß der obberührten Umbstände wahr sey oder nicht. Denn so einer anzeiget die Maß und Form der Missethat / als vor zum Theil gemeldet ist/und sich dieselben Umstände also erfunden / so ist daraus wohl zu mercken/daß der Gefragte die bekante Missethat gethan hat / sonderlich so er solche Umbstände sagte/die sich in der Geschicht haben begeben/die kein Unschuldiger wissen kan. Et sanè magna est hujus inqvisitionis utilitas, imò necessitas, cum confessio sola sine investigatione fidem non mereatur *l. 1. §. 24. ff. Ad SC. Silan. Dn. Carpz. p. 3. q. 113. n. 4. Dn. Thabor de Confront. d. 4. th. 9.* Sed cum hæc res moram & sumptus reqvirat, à multis malè negligitur. Ideò etiam rectè à Facultate responderi solet: Dafern ihr euch nun dieser oder jener Umbstände erkündiget/ 2c.

92 Demum notandum, verba Rei respondentis eo modo à Notario scribenda, qvo ab eo proferuntur, & ita servant boni judices timentes Deum, inqvit *Flamminius Chartarius dict. cap. 2. n. 90.* ne dum Rei mens aliis verbis explicatur, aliena mens ipsi affingatur. Scio reis hac in parte injuriam fieri posse & factam esse.

93 Ideoqve judices & Notarios diligenter velim admonitos, ut verba statim, ut ex ore inqvisitorum exierunt, dictentur & scribantur. Nec tuta est eorum practica, qvi prius totam audiunt reorum responsionem, qvamvis longissimam, ut qvando narrat aliqvod factum illiusq; seriem, postea eam ipsi Notario mutatis verbis, sensu, ut putant, retento dictant, cum tamen sæpius sensum genuinum sua interpretatione corrumpant & inqvisito alienam mentem affingant. Verba ideoq; inqvisiti propria & formalia præcisè scribenda, prout *Paulum 3. Pontificem Romanum in suo motu proprio constituisse refert Flamminius Chartarius d. l.*

94 Sed inqvis, inqvisiti sunt homines sæpè idiotæ, & rustici, qvorum verba formalia si scriberentur, sæpe Facultas, ad qvam acta transmittuntur, horum sensum verum non intelliget. *Resp.* ne tunc qvidem verba mutanda, sed eadem verba retinēda esse, sed eo casu urgendi sunt homines rustici, ut sua verba ipsi explicent, & qvid per hæc aut illa verba intelligant, exponant. Ejusq; rei non sine causa

causa Facultas nostra qværentes monere solet his verbis: Daß des *Inqvisiti verba formalia* oder des *Inqvisiti* eigentliche Worte zu beschreiben. Hoc nisi observetur, Assessores Facultatum vel Scabinatuum facillimè seduci possunt, facileqve fit injuria inqvisito.

Mutus qvando examinandus, interrogandus est per signa muto familiaria. Signa ea scribenda, adhibendi ii, qvi ejus signa intelligunt ex familiari conversatione conf. *Farin. q. 41. num. 89. Gometz. tom. 3. cap. 1. num. 69. Ruland. de Commiss. p. 2. lib. 2. cap. 61. Oldekop. tit. 2. obs. 42.* ubi habet exemplum ejus, qvi sibi ipsi lingvam præsciderat. 95

Utile etiam foret. ut post examen absolutum articuli cum responsionibus inqvisito prælegerentur, eo fine 1. ut si error in respondendo vel scribendo commissus, is corrigatur. 2. Ut si inqvisitus postea protocollum erroris arguat, facilius convincatur. 96

Exemplum unum atqve alterum Examinis Rei subjiciemus, ut examinaturus rerum ideam, qvam imitari possit, habeat.

Præmissis præmittendis qværit judex vel Notarius ex Reo:

1. Wie *Inqvisit* heisse? Resp. Er heisse *Titius*.
2. Wer seine Eltern gewesen? R. 2c.
3. Was seine Eltern für Handthierung gepflegt? 2c.
4. Wo sie gewohnet? Quoniam multum refert, à qvibus & qvo modo qvis sit educatus.
5. Wie alt *Inqvisit* sey? NB. Hunc articulum summe esse necessarium. Nam ætatem inter alia in pœnis infligendis Facultatem attendere debere ex constitutione criminali & jure civili apparet.
6. Ob *Inqvisit* im Ehestand lebe oder nicht?
7. Wo *Inqvisit* sich bisher auffgehalten?
8. Was seine Handthierung gewesen? Wovon er sich ernehret? Ex his duobus articulis sæpè apparent indicia delicti, v. g. Si cum hominibus suspectis conversatus sit. Interdum etiam si homo sit ignotus & subjestæ fidei, opus est per literas adire

 Magi-

Magiſtratum ejus loci, ubi hactenus ſe vixiſſe narrat. Ita enim nova Indicia emergere contra reum ſæpè compertum eſt.

9. Wie *Inqviſitus* dieſer Oerther herkommen?

10. Ob *Inqviſit* wiſſe/aus was Urſachen/ wie und welcher Geſtalt er zur Hafft gebracht/ Vel ſi nondum captus, ob er nicht wiſſe worumb er auff die Gerichts-Stube gefordert worden: Reſp. Er wiſſe es zwar eigendlich nicht/ als daß es müſſe daher kommen/daß er unter andern mit N. N. Händel gehabt/ darumb ihm deſſen Todt *imputirt* werde.

Tunc urgendus eſt reus, ut factum ipſum cum omnibus circumſtantiis ſummariè enarret. Et poſtqvam totam Rei ſeriem ſine interruptione recenſuit, debet judex interrogare reum, an hæc ſit ipſiſſima veritas. His peractis ad ſpecialia interrogatoria procedere poteſt vel uno actu, vel interpoſita aliqva mora, ut *ſupra* dictum. Jam ergò exempli gratia interrogatoria ſpecialia ſemper nonnullis delictis ſeqvuntur v. g. in puncto homicidii ita formari poſſunt interrogatoria. Dixit fortè ante reus, ſe inflixiſſe vulnus Petro interfecto, ſed ſe ab eo laceſſitum & provocatum id feciſſe, & ſuæ defenſionis gratia.

Qværitur igitur: 1. Ob *Inqviſit* den Entleibten kenne? R. Ja er kenne ihn/ oder Ja/ ich kenne ihn/ ita ut ſcribantur ipſiſſima verba formalia inqviſiti, qvamvis nihil interſit, ſive in tertia ſive in prima perſona reſponſio ſcribatur, modo reliqva verba retineantur.

2. Ob er mit ihm offt ůmgangen? R. Ja.

3. Wie lange ſolches geſchehen? R. Wohl drey Jahr.

4. Aus was Urſachen er mit ihm ůmgangen? R. Sie wären Nachbarn geweſen.

5. Ob er nicht vor dieſen ſich mit ihm verzůrnet? R. Ja/ es könte ſo eben nicht zugehen.

6. Warum er ſich mit ihm verzůrnet? R. Es hätte Entleibter ſein Vieh gepfändet.

7. Wer dabey geweſen? R. Dieſer oder jener.

8. Ob er nicht dannenhero einen Groll wider den Entleibten getragen? R. Der Groll hätte nicht groß zu bedeuten.

9. Ob er nicht mit jemand dieſer Pfändung halber geredet? R. Ja/ es könne wol ſeyn.

10. Mit

10. Mit wem solches geschehen? R. Das wüste er so eigentlich nicht.
11. Ob er nicht kenne *Sempronium*? R. Ja.
12. Ob er mit ihm hievon nicht geredet? R. Nein.
13. Ob er sich nicht verlauten lassen/er wolte es ihm nachtragen / es stünde kurtz oder lang an? R. Er wisse sich dessen nicht zu erinnern. Hic admoneatur, Er möchte sich wohl bedencken/ würde er überwiesen/so machte er seine Sache noch schlimmer? R. Er wisse sich nicht zu erinnern.
14. Ob er nicht mit *Sempronio* bey *Cajo* zum Kindtauff gewesen? R. Ja.
15. Ob er nicht dieser Sachen damahlen gedacht? R. *aff*.
16. Mit welchen Worten? R. Er hätte gesagt: N. der Entleibte hätte frevelhafftig bey ihm gehandelt/ er hätte noch mit ihm Abrechnung.

Hic qvia inqvisitus fatetur factum, sed defensionem allegat, non opus est, ut examinetur, ubi diebus præcedentibus fuerit. Ideo porrò interrogetur

17. Wie er denn den Tag rc. mit dem Entleibten zusammen kommen? R. Der Entleibte wäre geritten kommen / und hätte ihn alsofort mit losen Worten angefallen / und seinen Degen alsofort entblöset.
18. Was das für lose Wort gewesen? R. Er hätte ihn für N. N. gescholten/rc. Hic etiam de causa ulterius interrogetur.
19. Wer dabey gewesen? R. Seines Nachbauren Knecht.
20. Was der Entleibte für Gewehr gehabt? R. Einen Hirschfänger.
21. Wo denn *Inqvisit* gestanden? R. Auff diesseit des Grabens nach dem Dorffe.
22. Ob denn *Inqvisit* zu ihm kommen können über den Graben? Hic inqvisitus erubuit & respondit: Das wüste er eigendlich nicht/ob der Graben tieff gewesen an dem Ort oder nicht.

Qvando tales circumstantiæ allegantur judici ignotæ, statim per αὐτοψίαν eæ investigandæ, an ita circumstantia loci se habeat, ut Inqvisitus allegat, ut antea dictum *per articul. 48. & seqq. Ordin. Crimin.*

23. Wo-

23. Womit denn *Inqvisit* den Entleibten geschossen? R. Mit eine gezogenen Bůchse.

24. Ob er auff den Entleibten gezielet? R. Nein / denn er hätt dem Entleibten die Bůchse nur entgegen gehalten / und densel ben damit abhalten wollen/es wåre aber die Bůchse ohngefeh loßgangen.

25. Warumb er denn mit der Bůchse ausgangen? R. Er hätt zu seinen Leuten auffs Feld gehen wollen.

26. Ob er denn allezeit mit der Bůchse auszugehen pflege? R. Nein nicht offte. Hic palpitavit reus.

27. Wie viel Kugeln er hinein geladen? R. Nur eine.

28. Was er fůr Worte gebraucht/da er die Bůchse geladen? R. Er wůste es nicht.

29. Ob er nicht gesagt / er wolte die Bůchse laden wider einen bö sen Nachbauren/und wider einen tollen Hund? R. Es könt wol seyn.

Diximus etiam supra, interdum circumstantiam aliqvam, si noli sponte fateri, exprimendam esse inqvisito.

30. Ob er nicht/wie er fůr des Schmiedes Thůr fůrůber gangen gefraget / ob nicht sein Nachbaur N. N. zu dem Dorffe her aus geritten? R. Ja.

31. Ob nicht so viel aus diesem erscheine / daß *Inqvisit* den Entleib ten bößlich ůmbgebracht? R. Nein.

32. Wie er doch verläugnen könne/daß er dem Entleibten gedräu et/da es doch viel Leute gehöret? R. Er wisse nichts davon.

33. Wie doch *Inqvisit* sagen könne/daß der Entleibte ihn angefallen da doch zwischen ihnen beyden ein tieffer Grabe gewesen? R. Könne wol seyn.

34. Ob sich nicht befunden/daß der Entleibte mit mehr denn eine Kugel geschossen? R. Das wisse er nicht.

35. Ob er nicht mit den Fůrsatz heraus gangen/sich an den Entleib ten zu rächen? R. Nein/mit nichten.

Possunt etiam plures articuli proponi, prout nimirum Rei ne cessitas postulat, nec gravabitur judex, etiam super minutissimis circumstantiis inqvirere, nam interdum ex minutissima circum stantia aliqvid elici potest, qvod ad gravandum, vel excusandum reum

reum pertinet, sed omnia sine dolo, sine ira, sine vindictæ cupiditate, in timore Domini, & ad eliciendam tantum veritatem.

Seqvitur aliud exemplum in casu veneficii & magiæ.

Præmissis præmittendis, scilicet invocatione nominis Divini, Anno, die &c. præmissis item generalibus interrogatoriis, nec non interrogata causa carceris, qværatur inqvisita.

1. Ob *Inqvisitin* nicht *Bertham* gekennet? R. Ja/ gar wohl.
2. Ob *Inqvisitin* nicht mit ihr Freundschafft gepflogen? R. Nicht sonderlich/unterweilen seyn sie wol zusammen kommen.
3. Ob *Inqvisitin* nicht etwas von Pöseley von ihr gelernet? R. Nein/gar nichts.
4. Ob sie nicht gewust/daß *Bertha* wegen Zauberey verdächtig gewesen? R. Ja/man habe sie verdächtig gehalten/ ob sie aber daran schuldig/das wisse sie nicht.
5. Ob sie nicht an dem Orthe gesaget/sie hätte von *Bertha* gelernet ein Stücklein/daß man noch eins so viel Butter/ als sonsten/ machen könne? ꝛc. R. Sie könne sich deß nicht erinnern.
6. Ob sie nicht kenne *Sejam?* R. Ja/ sie kenne sie wohl.
7. Ob sie mit derselben in Feindschafft nicht gelebet? R. Sie hätte keine sonderliche Feindschafft zu ihr getragen.
8. Ob sie derselben nicht gedräuet? R. Sie wisse sich nicht zu eriñern.
9. Ob nicht der *Seja* Bier etliche mal ümbgeschlagen/und im Böttich saur worden? R. Sie hätte davon gehöret.
10. Wer ihr denn solches berichtet? R. Von *Titio.*
    NB. Hic Titius postea interrogandus: an dixerit, & qva occasione, & annon inqvisita initium fecerit sermonis hujus.
11. Ob sie nicht selber Schuld daran hätte? R. Nein mit nichten.
12. Ob sie auch vermeinte/daß solches von bösen Leuten her käme? R. Sie hielt es darvor.
13. Ob sie nicht bey der *Seja* an dem und dem Tage gewesen? R. Ja.
14. Ob sie nicht wegen ihres Bierbrauens sie gefraget? R. Ja.
15. Ob sie nicht angegeben/ daß sie Mittel dawider wüste? R. Es könne wol seyn. Darauff der Richter sie vermahnet/ sie solte

richtig antworten mit Ja oder Nein/ darauff sie geantwortet: Ja/sie erinnere sich dessen/daß sie solches gesaget.

16. Was sie für Mittel meinete? Resp. Sie wüste eigentlich sich nicht zu besinnen/was sie damals gemeinet.

Hic urgenda est, ut veritatem dicat, non esse probabilem ignorantiam ejus, qvod nuper gestum est, &c.

17. Ob sie nicht die *Proculam* kenne? R. Ja in alle wege.

18. Ob sie in einiger Feindschafft mit derselben gelebet? R. Nein/ sie wüste von keiner Feindschafft.

19. Ob sie nicht mit der *Procula* auff dem Felde von der *Sejæ* Brauen geredet? R. Ja/ sie hätte davon geredet.

20. Wie sie darauff kommen wäre? R. Sie/ die *Inqvisitin*, hätte selber angefangen.

21. Was sie vor Ursach zu solchen Reden gehabt? R. Sie hätte gehöret/daß der *Sejæ* Bier etliche mal ümgeschlagen.

22. Was denn vor Reden hierüber zwischen ihnen vorgefallen? R. Sie hätte *Sejam* beklaget.

23. Was denn *Procula* dazu gesaget? R. Sie hätte *Sejam* gleichsfals beklaget.

24. Warum denn *Procula* sie/die *Inqvisitin*, gestrafft? R. Darüm daß sich *Inqvisitin* über *Sejæ* Schaden gefreuet.

25. Ob denn nicht falsch/ daß *Inqvisitin* vorgeben/ sie hätte *Sejam* beklaget? Hic initio palpitavit & nihil respondit. Sed post ea dixit: Sie könne es so eben nicht in acht nehmen.

26. Ob nicht *Inqvisitin* gesaget: Sie hätte es wohl vorher gesagt/ daß es *Sejæ* so gehen solte? R. Wann es *Procula* eydlich sagen könte/müste sie es gestehen.

Hic urgenda est, ut veritatem dicat, nam Procula jamdum in generali examine juramento hunc articulum confirmavit.

27. Ob *Inqvisitin* ein scharff Gehör habe? R. Nein/ so gar scharff höre sie nicht.

28. Ob *Inqvisitin* den 21. Julii mit *Procula* geredet? R. Nein.

29. Wie denn *Inqvisitin* wissen können die Wort/ die *Procula* mit der *Seja* den vorigen Tag/ als den 20. Julii/für der *Seja* Thür geredet? Hic primò tacuit, postea dixit: Sie hätte es selber gehöret.

30. Wie

30. Wie sie es denn hätte hören können/ da sie doch über 4. Häuser davon gestanden? R. Sie hätten laut geredet/ ꝛc.

Hâc ratione etiam plura interrogatoria formari possunt hac methodo, ut non statim super ipsis indiciis, sed super generaliorib. prius examinetur, & pedetentim ad ipsa indicia veniat examinator. Adhuc unicum *de infanticidio* subjungemus.

Præmissis solennibus nec non interrogatoriis generalibus.

1. Wo *Inqvisitin* bißhero sich auffgehalten? R. Bey dem Krüger.
2. Ob *Inqvisitin* kranck gewesen? R. Nein gar nicht.
3. Wie sie denn so bleich aussehe? R. Sie wisse dessen keine Ursach. Ne hic conjicere possit causam interrogationis, ad alia divertat judex & qværat:
4. Was denn ihre Verrichtung beym Krüger gewesen? R. Sie hätte das Vieh gewartet.
5. Ob sie des Nachts auch des Viehs warte? R. Nein/das dürffe sie nicht thun.
6. Wo sie in der Nacht/so vorm Montage hergegangen gewesen? R. Sie hätte nach dem Vieh gesehn/weil eine Kuh hätte werffen sollen.
7. Zu welcher Zeit sie auffgestanden? R. umb Mitternacht.
8. Ob sie nirgend anders gewesen/ als im Stall beym Viehe / Sie solte sich recht bedencken? R. Sie wäre nirgends gewesen.
9. Ob sie nicht auch beym Wasser gewesen? R. Ja/sie erinnerte sich nun/daß sie beym Wasser auch gewesen.
10. Was sie alldort gemacht? Resp. Sie hätte die Affter-Geburt von der Kuhe hingetragen.
11. Was das für eine Kuhe gewesen/die in der Montags-Nacht geworffen? R. Die Schwartzbunte. Hic inqvirendum est in rei veritatem, an ita res se habeat, nam si res ita se non habeat, poterit mendacii convinci.
12. Was sie denn verursachet/ solches in der Nacht ins Wasser zu tragen/und warumb sie nicht des Tages erwartet? R. Es müsse nicht beym Viehe liegen bleiben.
13. Warum sie es nicht an einen andern Ort so lange hinlegen kön-

nen/biß gegen Tage? R. Es hätte ihr beliebet/ solches alsbald hinweg zuschaffen.

14. Ob sie deñ andermal auch die Nachbürde alsofort weggeschaft? R. Ja/ allezeit.

15. Ob sie in der Nacht nirgends sonst gewesen? R. Nirgends.

16. Ob sie nicht in den wüsten Keller beym Schneider gangen? R. Da sey sie nicht hinkommen.

17. Wie sie das läugnen könne/da sie doch beym Mondschein dort gesehen worden? R. Sie könne sich dessen nicht erinnern.

18. Wovon ihre Schürtze den andern Tag blutig gewesen? R. 2c.

19. Was sie den Montag gethan? R. Sie hätte ihres Viehs gewartet.

20. Ob sie nicht den gantzen Tag zu Bette gelegen? R. Mit nichten.

21. Ob das Kind nicht lebendig gewesen? R. *Negat.*

22. Ob sie nicht das Kind ertödtet? R. *Negat.*

23. Ob sie nicht den Cörper ins Wasser geworffen? R. *Negat.*

24. Ob davon nicht eine gemeine Rede gehe? R. Sie wäre unschuldig/die Leute mögten reden was sie wolten.

Qvoniam aliqvas circumstantias allegavit ea, ideoqve alia die repetendum fuit examen, postqvam investigatio super circumstantiis præcessit.

Præmissis præmittendis qværatur.

1. Wie *Inqvisitin* läugnen könne/ daß sie kranck gewesen: da sie doch den gantzen Montag/Dienstag/und fast den Mittwoch zu Bette gelegen; R. Sie hätte sich nicht wol auff befunden.

2. Warům sie denn gelogen/und gesagt: Sie wäre nicht kranck gewesen? R. Sie hätte eine grosse Kranckheit verstanden.

3. Ob sie nicht sieder der Zeit immer bleich gewesen; R. könne wohl seyn.

4. Warůmb sie gelogen/da sie fürgeben/sie hätte den Montag des Viehes gewartet/ da sie doch mit keinem Fuß aus dem Bette kommen; R. Sie wäre zweymahl auff gestanden/ und in den Stall gegangen.

5. Ob sie iemand gesehen? R. *Negat.*

6. Ob nicht die ander Magd das Viehe den gantzen Tag gewartet? R. Das wisse sie nicht.

7. Ob

7. Ob sie nicht gelogen/daß die Nacht eine Kuh geworffen/ da doch die Schwartzbunte/derer sie gedacht/schon vor vierzehen Tagen geworffen; R. Sie erinnere sich nun/ es wäre nicht die Nacht gewesen.

8. Ob sie mit solchen Lügen nicht ihre Sache verriethe: R. Sie wäre unschuldig.

9. Ob nicht wahr/ daß sie öffters die Nachbürde vom Viehe wohl etliche Tage sonsten liegen lassen / und von der Frauen offter darüm gescholten worden; R. Es wäre wohl geschehen.

10. Ob nicht aus diesen ihren angebrachten Lügen und Umständen so viel erscheine/ daß sie eines lebendigen Kindes genesen / sie solte nur bekennen/oder sie würde ihr nur mehr Ungelegenheit machen; Hic rubore suffusa respondit: Sie wolte bekennen/ und bete üm Gnade.

Hic ergo ulterius inqvirendum: Wer sie geschwängert? Wenn? An welchem Orth? Wie offte? Ob er davon/ daß sie schwanger/ Wissenschafft gehabt? Ob die Frucht in Mutterleibe gelebet? Ob die Frucht todt oder lebendig zur Welt kommen? An welchem Ort? Zu welcher Stunde? Warumb sie solche weg gebracht? Ob es ihr iemand gerathen? 2c.

CAPITIS VIII.

MEMBRUM SECUNDUM.

DE

DELICTI PROBATIONE ET CONVINCENDO INQVISITO.

SUMMARIA.

1. *Judicis prima causa esse debet ut delictum probetur. num. 1.*
2. *Et qvidem plenè. n. 2.*
3. *An per instrumenta delictum probari possit? N. num. 3.*

4. Idqve limitatur. num. 4. & seqq.

5. An capto reo ipsius res consignari & pervestigari possint? A. num. 7. & seqq.

6. Annon hoc cum naturali pugnet æqvitate? N. num. 13.

7. Qvomodo instrumenta, qvæ secum judex auferre vult, designanda? n. 14.

8. Exemplum perqvisitionis ædium. n. 15.

9. Cura Judicis summa circa dicta testium. n. 16.

10. Qvinam esse possint testes? num. 17. & seqq.

11. An mulieres testes esse possint in criminalibus? A. n. 22.

12. Qvid in denunciatore. num. 23.

13. Inhabiles testes repelluntur. num. 24.

14. Inhabiles testes admittuntur qvando delicta sunt difficilis probationis. n. 25. & seqq.

15. Inhabiles testes admittuntur, ubi veritas aliter haberi non potest, num. 27. & seqq.

16. Ut & in criminibus exceptis, num. 28.

17. Et ideò dictis casibus testes inhabiles examinandi. n. 29.

18. Qualitas testis in actis exprimenda, n. 30.

19. Qvando impubes testis esse possit? n. 31.

20. An minor 20. annis testis esse possit in processu inqvisitionis? A. num. 32.

21. Qvomodo debeant examinari testes? num. 33. & seqq.

22. Testis debet citari. num. 34.

23. An inqvisitus etiam citandus? A. n. 35. & seqq.

24. An testis in processu inqvisitionis ad perhibendum testimonium cogi possit? A. num. 37.

25. An persona conjuncta in atrocioribus delictis cogi possit? A. num. 38.

26. An ob juramentum de non revelando qvis juste possit se excusare? n. 39.

27. *An confesſio ſacerdoti facta ab eo revelari debeat? N. n. 40.*
28. *An clerici etiam ad teſtimonium dicendum compelli posſint? A. n. 41.*
29. *An teſtis jurare debeat in præſentia inqviſiti? A. num. 42.*
30. *An judex ſine juramento teſtem examinare posſit? N. num. 43.*
31. *An conſvetudine posſit introduci, ut in inqviſitionibus teſti injurato credatur? N. numer. 44. & ſeqq.*
32. *An teſtis ſine juramento receptus denuò examinandus ſit? D. numer. 46. & ſeqq.*
33. *Admonitio judicis, ut teſtem injuratum denuo examinet. num. 48.*
34. *Formula juramenti. num. 49.*
35. *An ſuper articulis teſtes examinandi? A. n. 50.*
36. *An ſuper iisdem articulis, qvi etiam inqviſito fuerunt propoſiti? N. num. 51.*
37. *An inqviſitus interrogatoria offerens ſit admittendus? N. n. 52.*
28. *An judex ex officio interrogatoria teſti proponere teneatur? A. n. 53.*
39. *Qvotuplicia interrogatoria? & qvænam generalia ſint interrogatoria, qvæ judex ex officio examini præmittere poteſt? num. 54. & ſeq.*
40. *An judex cauſam ſcientiæ reqvirere debeat à teſte? A. num. 56. & ſeq.*
41. *Qvid ſi teſtis reſpondeat de auditu? n. 58.*
42. *An judex ipſe præeſſe examini debeat? A. num. 59. & ſeqq.*
43. *Qvomodo teſtis de veritate dicenda admonendus? num. 57.*
44. *Qvid ſi idoneæ ad hanc rem perſonæ in judicio non ſint? num. 61. & ſeq.*
45. *Qvomodo ſint examinandi illi teſtes, qvi abſentes ſunt? num. 63. & ſeq.*
46. *An privilegium* l. ad egregias ff. de jurejur. *etiam in inqviſitione locum habeat? num. 65.*

47. Te-

70. *Qvo*

Multi, qvando reus indiciis gravatus fateri non vult, statim ad torturam properant, qva in parte perniciosissimè eos errare dubitandum non est. Videndum ideò, si reus delictum fateri nolit, annè illud probari possit? Cum enim tortura sit res fragilis, ut suo loco dicetur, ex *l. 1. §. 23. ff. de qvæst.* præcipitare sententiam judex non debet, sed operam dare, ut convincere reum probationibus possit, nam si convictus sit reus, non minus condemnari potest, ac si confessus esset, *l. qvi Sententiam 16. de pœnis. Bened. Carpzov. qvæst. 114. Practica suæ Criminalis, num. 1.* 1

Probatio autem in criminalibus, adeoqve etiam in processu inqvisitorio, debet esse plena & luce meridiana clarior, *per l. fin. C. de prob.* adeoq; semiplenæ probationes ad condemnandum non sufficiunt; Sed plena probatio reqviritur, v. g. duo testes, qvi de proprio sensu visus deponant, ut traditur in *Constit. Crimin. art. 67.* h. v. So eine Missethat zum wenigsten mit zweyen oder dreyen glaubhafften guten Zeugen/die von einem wahren Wissen sagen/bewiesen würde/darauff sol nach gestalter Verhandlung mit peinlichen Rechten vollfahren und geurtheilet werden. Et prolixè inculcatur à *Dn. Carpzov. dict. qvæst. 114. num. 2.* qvi tamen *num. 2.* excipit crimen levius, & casum si unus testis concurrat cum præsumptione, qvod de præsumptione hominis intelligit & prolixè refutat *Oldekop. decade 3. q. 48.* Sed potest *Carpzovius* de præsumptione juris intelligi. Putarem potius ab instantia liberandum reum, in crimine leviore, qvam ut extraordinariè puniatur, aut juramentum purgationis dictetur, ne perjurio causa detur, 2

Cum autem duo sint probationum genera, instrumenta scilicet & testes, qværitur *primò* an instrumentis delictum probari possit? Et communiter Dd. hoc negant, ut *Cynus, Baldus & Salyc. in Auth. apud Eloqventissimum. C. de fide instrum. Petrus Gilken. ad d. l. fin. C. de prob. num. 3. per l. 3. §. 3. ff. de testibus & l. 6. C. de Custod. reorum. Farin. q. 84. Mascard. q. 5. Clarus §. fin. q. 54.* Sed re- 3

pugnat

pugnat *Ant. Matth. ad l. 48. tit. 15. cap. 5.* qvia crimina etiam ex documentis probari posse, docet *l. fin. C. de probat. l. 22. de falſ. l. in exercendis C. fid. instr. l. 2. C. qvorum Appell. non recip. &c.* Verum Doctores allegati hoc tantum dicere voluerunt, qvod per Instrumétum Notarii, qvi super delicto testes examinavit, non possit plene probari crimen, ut in civilibus, licet nec huic documento omnis vis probandi adimenda. Sed conspiratio v. g. sæpe ex missivis detecta. Exemplo sit Dux Bironius de qvo *Thuanus lib. 128.*

4 Ideoq́; illam regulam Doctorum Gilkenius limitat 1. ut non habeat locum in criminibus, qvæ per scripturam contrahuntur, v. g. in crimine perduellionis, per *l. 1. §. 1. ibi: qvive hostibus Populi Romani nuntium, literasve miserit. ff. ad legem Juliam Majestat.* Item in crimine falsi, qvando per scripturam id committitur, & aliis à *Gilkenio* relatis *d. l. num. 5.*

5 2. Nec supra dicta opinio habet locum in instrumentis judicialibus, qvibus confessio vel condemnatio Rei continetur. Nam his delictum probari apparet, per generalem regulam *in l. fin. C. de re judic.*

6 3. Declaratur ista regula, qvod qvidem alia delicta, qvæ non per scripturam contrahuntur, sed facto aliqvo, non possint directò instrumentis probari, adminicula tamen & indicia per instrumenta sive literas probari posse nemo dubitat, *Gilken. d. l. num. 6.* v. g. Adulterium literis amatoriis non qvidem probatur, sed tamen adminiculantur tales literæ, & contra scriptorem præsumtionem inferunt validam.

7 Observandum itaq; judici est, ut in iis delictis, qvæ per scripturam aliqvo modo saltem probari possunt, statim capto reo consignentur ædes Inqvisiti, & postea pervestigentur, an talia instrumenta suspecta, imò etiam aliæ res suspectæ inveniri, & reus accedentibus aliis indiciis convinci possit.

8 V. g. Qvando contra aliqvem indicia, qvod reus fortè sit criminis læsæ Majestatis vel Proditionis, capto reo statim consignandæ atq; pervestigandæ ipsius ædes sunt, an scilicet tales literæ hostiles inter ipsius res reperiantur, vel descriptiones castellorum ac fortalitiorum.

Sic idem fieri deberet in crimine læsæ Majestatis Divinæ, ut 9
perqvirantur res Inqvisiti, an fortè magici libri characteribus scripti, vel alia instrumenta magica & res magicæ ibi reperiantur. Nam ex his indicium sumi posse, apparet ex *articul. 44. Constitut. Criminal.* ibi: Oder mit solchen verdächtigen Dingen/ ꝛc.

Sic etiam in crimine Falsi Judex poterit & debebit documen- 10
ta inqvisiti pervestigare, an etiam alia contra reum possint conqviri documenta falsa. De practica investigandi falsum, conf. *Oldekop. tit. 4. obs. 34.* & in crimine furti, annon res furtivæ, aut claves adulterinæ, in crimine de residuis, annon corruptelæ rationum reperiantur.

Qvoties etiam ob adulterii crimen qvis in carcerem rapitur, 11
bene faciet Judex, si coram Notario & testibus curet investigari scrinia ejus, an literæ amatoriæ inveniri possunt, ex qvibus præsumptivè saltem delictum probari possit.

Idem fieri debet in libelli famosi crimine, in crimine furti, 12
& depravatæ monetæ, ubi ædes pervestigentur, an fortè in ædibus literæ famosæ earumvè exemplum, aut res furtivæ aut instrumenta ac materia, ad monetam fabricandam apta, reperiatur, *Ambrosin. lib. 1. de process. inform. cap. 5. num. 4.*

Nam licet nimis grave videatur ex domo Rei ad probandam 13
Fisci intentionem probationes sumi, *l. nimis grave C. de Testibus. Bossius in Pract. Criminal. tit. de Examine reorum num. 9.* Nisi in caussis pecuniariis versemur, *l. 2. §. 1. & 2. ff. de jure fisc. Clem. un. de Usuris.* nec etiam Inqvisitus teneatur edere instrumenta contra se facientia, *Clarus in fin. qvæst. 27. num. 2.* Perqvisitio tamen ædium consvetudine satis probata, de qva *Clarus in §. furtum. n. 3. & dict. qvæst. 27. num. 1. Ambrosinus dict. cap. 5. num. 3.* ubi *n. 6. & 7.* hanc tradit practicam; ut Judex, cum ad hanc perqvisitionem pervenerit, cuncta, qvæ fecerit, & repererit, in Scripturã testibus adhibitis, per Notarium redigi curet, & si qvæ ipsi ad causam pertinere videbuntur, illa prius annotata, testibus illis videntibus & assistentibus, assumere secum Judici liceat, publicæ personæ consignanda, vel in Judicio deponenda. Tutissimum verò foret, si Judex, anteqvam capiatur reus, de captura personæ & pervestigatione ædium consulat peritiores in casu dubio.

14 Erit autem juxta *Ambrosinum d. l.* talis res à Judice asportanda, annotanda, cum omnibus suis circumstantiis & qvalitatibus, qvantum fieri potest, dilucidè, & aliqvo signo notanda, imo etiam testium sigillis munienda vel subscribenda, & hæc ideò, ne inqvisitus negare possit, hoc documentum vel rem in hujus ædibus repertam esse, vel si de depravatione scripturæ agatur ac falso, ne dicere possit inqvisitus hanc depravationem non à se, sed alio fortè in sui præjudicium factam esse. Refutabitur enim hæc exceptio, si talia documenta statim sigillo judicis, Notarii ac testium obsignata, & postea præsente inqvisito resignata.

15 Forma ex Ambrosino paucis mutatis & resectis inutilibus hæc esse poterit. Nachdem aus allerhand Ursachen ein rechtmässiger Verdacht des greulichen Lasters des Ehebruchs wider *Semproniam* entstanden/als hätte man nöthig erachtet/des flüchtigen *Titii*, der bey ihr aus- und eingangen/ Haus und Logiment zu eröffnen/ und nach verdächtigen Briefen zu forschen. Und haben demnach die Erb-Gerichte dahin ihren Gerichts-Schreiber N. N. nebst zweyen Gerichts-Schöppen und zweyen andern Bürgern als Zeugen/nach des *Titii* Logiment abgefertiget/die auch an des *Titii* Thür angeklopffet/ weil aber die Thür verschlossen/ und niemand auffthun wollen/als hat man durch den Schlösser das Haus auffbrechen müssen. Da denn in der Stube bey der Thüre eine grüne Lade befunden/ welche durch den Schlösser in obgemeldter Zeugen Gegenwart eröffnet/und nichts mehr als des *Titii* Schmier-Register und etliche *Obligationes* gefunden/welche aber alle wieder eingeleget/ und die Lade wieder zugeschlossen worden. Unter dem Tisch aber ist ein kleines rothes Lädelein gefunden/und nachdem durch den Schlösser diß eröffnet/sind Schreiben mit der *Semproniæ* Unterschrifft befunden worden/ welche mit *lit. A. B. C. D. E. F.* bemercket/ heraus genommen/in ein Packet eingewickelt/ mit des *Notarii* und Zeugen Pitschieren versiegelt/ und in Gerichten verwahrlich beygeleget/das Lädlein aber wieder verschlossen und unter den Tisch gesetzt worden. Solches ist geschehen zu N. N. den 21. Julii/Anno 1647. dessen zu Urkund ist dieses mit unserm Gerichts-Siegel bekräfftiget/ꝛc.

16 Potissimum verò probantur delicta per testes. Ideoqve de testium depositionibus, qvantum qvidem processum inqvisitionis

con-

concernit, prolixius erit agendum, nam jure merito circa dicta testium diligentissima indagatio facienda est, *l. testium 3. ff. de testibus.* Ex testium enim dictis tormenta inferuntur, sententiæ etiam condemnatoriæ, vitam qvandoqve vel bona adimentes, pronunciantur. Videas ergo Judex vel Notarie, qvi examen dirigis, ne in strictissimo Dei judicio condemneris, si negligenter te gesseris in hoc officio tuo, sangvinem humanum concernente, ut judicem admonet *Ambrosinus in sæpius allegato tractatu lib. 1. cap. 2. num. 23.* Agemus autem *primò* de testium personis, & qvidem strictim, ut tantum judicem informemus, qvos adhibere testes & qvid in eorum adhibitione observare debeat.

Notum autem est, adhiberi posse in testimonium omnes, qvi 17 non reperiuntur prohibiti, *l. 1. §. 1. ff. de testib.* Versamur enim hic in prohibitoriis, sicut in materia de procuratoribus, *l. 43. §. 1. ff. de procur.*

Causa autem prohibitionis qvadruplex, 1. Lubricitas consi- 18 lii sive mentis, 2. Conjunctio & reverentia personarum. 3. Infamia vitæ, *l. 3. § 5. ff. de testib.* 4. Inimicitia.

Ob lubricitatem consilii prohibentur impuberes, *dict. l. 3. §.* 19 *5. l. 19. in fine ff. de testib.* hos enim suspectiores facit ætas ad mentiendi facultatem, *l. 15. §. 5. ff. de qvæst.* In atrocioribus tamen criminibus, impuberem ætati adultæ qvam infantiæ propiorem, admittere solent, non qvidem ad effectum plenæ probationis, sed ad instructionem judicis & inqvirenda nova indicia, qvibus reus convinci possit *Farin. q. 58. n. 18. & 44.* De eo verò constat, puberem deponere posse de eo, qvod in pubere ætate vidit *Farin. d. l. num. 45.* furiosus etiam prohibetur, nisi dilucida intervalla habeat, *l. 20. §. 3. & 4. ff. qvi testam. fac.* & eadem ratio mente captorum est.

Ob conjunctionem & reverentiam personæ non debet ser- 20 vus examinari contra dominum, *l. 8. C. de testibus. l. 1. §. 5. 16. 19. ff. de qvæst.* neq; liberi contra parentes, aut contra, *l. 9. ff. de Testib. l. parentes 6. C. eodem.* maritus & uxor, *Farinacius lib. 2. qvæst. 54. n. 210. & alii ibi allegati.* Et qvidem uxor contra maritum examinanda non est, maxime in criminalibus *Wammesius consil. can. 111.* nisi forte crimen sit atrocissimum, & veritas alter exprimi non possit. *Farin. q. 84. n. 220.* Sane pro marito adduci & examinari potest *Farin. d.*

rin. d. l. n. 2281. qvamvis hoc caſu ejus dicta etiam contra maritum valeant. *arg. adhæc C. de fide Inſtr.*

21 Ob infamiam vitæ reprobantur, qvi judicio publico damnati, *dict. l. 3. §. 5. de teſtibus.* qvi ad pugnandum cum beſtiis ſuam operam locarunt. *dict. §. 5.* qvæ palam qvæſtum fecit corpore ſuo, *dict. §. 5.* qvi ob dicendum vel non dicendum teſtimonium pecuniam accepiſſe convictus eſt, *dict. §. 5.* damnatus ob carmen famoſum, *l. 21. ff. de teſtib.* calumniæ damnatus in publico judicio, *l. 3. ff. de teſtibus.* ob vitæ turpitudinem Senatu motus, *l. 2. ff. de Senat.* damnatus repetundarum, *l. 15. ff. de teſtibus.* qvi in cuſtodia publica detinetur, *dict. l. 3. §. 5. de teſtibus.* Imo qvi in publico judicio reus eſt, licet nec dum damnatus, nec in publica cuſtodia ſit, per *l. 20. ff. de Teſtib. Ant. Matth. ad l. 48. tit. 15. c. 2. n. 2.* & de Jure Canon. omnes infames, *can. infames 17. C. 6. qvæſt. 1.* Sed de his alii plura.

Inimicitia autem capitalis in totum repellit *Nov. 70. c. 7.* Sed ob non capitalem non repellitur qvidem, ſed admittitur, ſalvis exceptionibus *Ant. Matth. d. c. 2. n. 9.* modo non ſit procurata inimicitia *Farin. d. l. n. 64.* Lite autem, causâ, unde inimicitia orta, finitâ, inimicum poſſe eſſe teſtem putant, per *Auth. Si Teſtis C. de Teſtibus,* qvod tamen malæ verſioni tribuit ibidem *Richter. n. 9. poſt Rittersh. ad Nov. p. 9. c. 22. n. 23.* Et hinc apparet ratio, cur non admittatur teſtis, qvi in criminali cauſa ſemel jam antea contrarium teſtimonium dixit. *l. 23. de Teſtibus. Anth. Matth. d. c. 2. n. 3.*

22 Sed qvid de mulieribus? Hæ qvamvis in criminalibus jure Canon. non admittantur, *can. mulierem 17. C. 33. qvæſt. 5. c. forum. 10. X. de verb. ſign.* hoc tamen ad nævos Juris Canon. fortè referendum: Jure Civili, qvod in hac materia ſeqvimur, omninò admittuntur, *per l. ex eo 18. ff. de teſtib. Clarus §. f. qvæſt. 24. num. 2. plures allegans Farinacius lib. 2. qvæſt. 59. n. 17. & 19. Carpzov. dict. qvæſt. 114. num. 39. & alii:* idqve tota die ita obſervatur, adeò ut fides honeſtæ mulieris ob ſexum labefactari non debeat.

23 Sed qvid de Denunciatore? Reſpondent eum, qvi non ad correctionem denunciat, ſed ad punitionem, non poſſe eſſe teſtem fide dignum, *Dd. in c. in omni 4. X. de Teſtib. Lanfrancus de Oriano de Teſtibus n. 89. Albericus de Teſtibus n. 6. Farin. q. 60. num. 75. Wammeſ. inter conſ. can. conſ. 564.* qvamvis publici denunciatores in

levibus

levibus criminibus probare soleant, *Farin. q. 52. n. 178.* Putarem, tamen Denunciatorem privatum, nisi vindictæ studium appareat, aut propria sit injuria, juramento testis adstringi debere, & judicem, qvi sententiam fert, ex circumstantiis dijudicare posse, qvanta ei fides tribuenda, qvod observari, experientia docet.

Inhabiles ergo testes adhibendi non sunt in processu inqvisitionis, qvam regulam allegatis multis authoritatibus tractat *Farinacius l. 2. operum criminalium qvæst. 62. num. 22.* Sed subjiciemus præcipuas hujus regulæ limitationes, ut sciat judex, qvando inhabiles recipere testes debeat. 24

Prima limitatio sit, ut non procedat in factis ac delictis, qvæ sunt difficilis probationis, ut perduellio, adulterium, furtum, partus suppositio, simonia, proditio & similia, *Mascardus vol. 3. conclus. 1366. num. 1. & seqq. Farinac. d. qvæst. 62. num. 28. Dn. Carpzov. d. qvæst. 114. num. 35.* 25

Notant autem qvidam, qvædam crimina per se esse difficilis probationis, ut adulterium, ubi non solent intervenire testes in ipso delicto, nec potest detegi, nisi per domesticos, adeò ut nisi domestici adhibeantur, vix unqvam hoc delictum probari posset. Idem in furto, conjuratione & simil. Alia verò propter circumstantiam loci, aut temporis redduntur difficilis probationis, atqve in his etiam testes inhabiles intervenire possunt, juxta *Carpzov. d. l.* v. g. si nocturno tempore homicidium commissum sit, *Menoch. lib. 2. arb. qvæst. cas. 116. num. 14. Farinac. d. l. num. 33.* Qvi in hac circumstantia secundam limitationem constituit. Idem est, si ratione loci testes facile haberi non possint: v. g. si homicidium factum in eremo aut nemore, alioqve loco solitario. *Farinac. d. qvæst. 62. num. 55. Carpzov. d. l. num. 36.* Aliud vero volunt esse, si testes intervenire potuerint, neq; obstiterit natura delicti, nec locus, nec tempus, etsi actu non intervenerint. Sed non putarim hanc differentiam attendendam. Nam cum publicè intersit, crimina detegi, maxime enormia, etiam eo casu qvando actu testes omni exceptione majores non adfuissent, testes alios etiam examinandos esse; & Judici concepturo sententiam judicium relinqvendum, qvanta fides sit tribuenda, qvia idem est favor. V. g. homicidium factum in ædibus, aliud in horto, utrobiq; adfuit domesticus ali- 26

qvis,

qvis, qvid causæ est, ut hic, non illic domesticus testis examinetur. Adulterium noctu factum, aliud de die, vidit utrumqve impubes, qvid causæ est, cur impubes illo casu, non hoc sit examinandus; Nulla apparet causa.

27 *Secundò* limitatur dicta regula, qvod testes etiam inhabiles admittantur, qvando veritas aliter haberi non potest, *argum. l. consensu 8. §. servis etiam 6. C. de repud. Divus. 9. princ. ff. de qvæstion. Farinacius d. qvæst. 62. num. 50.*

28 *Tertia* limitatio in criminibus exceptis, ut Perduellionis, Veneficii, magiæ, latrocinii, homicidii, in qvibus etiam testes alias inhabiles admittuntur, *argum. l. famosi 7. ff. d. L. Jul. Majest. Masc. d. Concl. 1366. n. 15. Clarus d. qvæst. 24. n. 19. Farinac. d. qvæst. 62. n. 81.* Nam & servo credendum qvodammodo in atrocioribus *l. 7. de Testibus. l. 8. §. servis C. de Repud. l. 12. & seq. de Qvæst.* Et arenarium testem interdum admittere cogimur, *l. 21. §. 2. de testibus.* Si atrocitas criminis cum difficultate probationis concurrat conf. *Farin. q. 50. n. 5. & q. 62. n. 28. & Clar. §. fin. q. 24. n. 19.*

29 In his ergo casibus judex testem inhabilem admittet, & qvantum fidei ipsius dictis tribuendum, Facultatis vel Scabinatus adsessoribus judicandum relinqvat.

30 Ideoq; qvalitas testis, scilicet qvod sit cognatus occisi, vel inimicus inqvisiti, in actis exprimenda, qvo fine interrogatoria generalia à judice ex officio facienda esse *infra* dicemus. Certum enim est, qvamvis inhabiles testes in supra dictis casibus admittantur, non tamen plenam fidem eos facere, sed tantum aliqvalem inducere probationem & interdum si plures sint, indicium sufficiens ad torturam, qva de re *Farinac. d. qvæst. 62. num. 161. & seqq. & Carpzov. d. qvæst. 114. num. 38.* Nam si plures sint testes inhabiles, eorum defectum numero suppleri statuunt Doctores allegati à *Farin. d. qvæst. 62. num. 309. & seqq.* Nam alias numerus, alias dignitas & authoritas, alias consentiens fama confirmat rei, de qva qværitur, fidem, *l. 3. §. 2. de Testibus Ant. Matth. d. c. 2. n. 8.*

31 In specie autem etiam impubes doli tamen capax, & pubertati proximus, interdum adhiberi potest in testimonium, qvando scilicet delicta sunt occulta & atrocia, qvo tamen casu non plenam probationem, sed indicium tantum [illegible] unt impuberes, & pro-

sunt

ſunt ad veritatem inveſtigendam, qvippe per tale teſtimonium impuberis, via interdum aperiri poteſt ad circumſtantias nonnullas plenius perqvirendas, qva de re *Clarus in d. qvæſt. 14. num. 17. Farinacius lib. 2. qvæſt. 58. per totam & alii.* Atqve ita filium impuberem contra parentem in cauſa veneficii examinatum memini. Sed hæc, ut dixi, in criminibus atrocioribus vel occultis tantum facienda eſſe, probè obſervet judex.

Et qvamvis minor 20. annis in criminalibus non poſſit teſtis eſſe, *juxta l. in teſtim. 20. ff. de teſtibus.* maxima tamen concertatio inter Dd. hac de re fuit, ut videre eſt ex *Farinac. dict. qvæſt. 58. n. 19. & ſeqq.* Sed ſentimus nos cum *Domino Carpz. dict. qvæſt. 114. n. 42.* qvi *dict. l. 20.* ad proceſſum ordinarium, in qvo accuſator intervenit, reſtringit, ſicut & de accuſatore expreſſè loqvitur. Vel dicimus illam legem deſvetudine abolitam, ob favorem eruendæ veritatis in rebus qvæ ſalutem Reip. concernunt, præſertim ſi veritas aliter haberi non poſſit *Farin. q. 58. n. 22. Maſc. concl. 1253. num. 7.* Poterit itaqve judex inqviſitionis minores 20. annis, modo 14. annis ſint majores, in teſtimonium adhibere. 32

Jam ergo de *forma* ipſa examinandi teſtes paucis agemus; & qvidem de iis, qvæ ad proceſſum inqviſitionis propriè faciunt: nam qvæ ad formam examinis teſtium aliàs reqviruntur, non eſt hujus loci ex profeſſo tractare. De his enim Dd. qvi præſertim jus methodicè, vel in ſpecie materiam teſtium tractarunt, pluribus agunt. 33

Debent autem præmitti qvædam præliminaria: 34

Primò enim citandi ſunt teſtes ad perhibendum teſtimonium, ut præmeditati atqve jejuni veniant depoſituri teſtimonium ſuum.

Deinde etiam citandus vel vocandus eſt inqviſitus, ut in præſentia ejus juramento adſtringantur teſtes, nam qvamvis teſtes, qvi in generali inqviſitione examinantur, debeant ſecretò vocari & examinari non citato inqviſito, ut *ſuprà* diximus, in ſpeciali tamen inqviſitione, ubi de probando crimine agitur, ac teſtes antea in generali inqviſitione, pro informatione curiæ examinati, repetuntur, vel alii adhibentur, debent ſemper unà cum inqviſito vocari: Si enim teſtes parte non citata recepti non probant in civi- 35

libus *cap. 2. X. de Testibus* qvantò minus in criminalibus probabit testis non citato reo receptus? Qvia de majori præjudicio agitur, ut argumentatur *Farinacius lib. 3. operum crim. qvæst. 42. num. 87.* Accedunt & aliæ causæ, ut obviam iri possit fraudibus judicum, & ut sincere omnia agantur vel ut reus possit contra capitalem hostem, vel alias inhabilem excipere, item ne error in persona rei vel testis committatur &c.

36 Qvamvis enim eo casu, qvando judex ex officio procedit, non esse necessariam citationem partis, multi Dd. statuant, relati à *Farinac. dict. qvæst. 71. num. 103.* verior tamen est sententia eorum, qvi necessarium esse statuunt, inter qvos est *Mascardus vol. 2. conclus. 673. num. 10. & Dd. relati à Farinac. d. l. num. 104.* & multi ex dissentientibus loqvuntur de primo examine, qvod judex instituit in generali inqvisitione ad informationem curiæ, ut has dissentientes opiniones conciliat *Farinacius d. l. n. 150.*

37 Sed *qvid si nolit testis deponere, an cogi etiam possit?* Resp. cum officium testis sit publicum, *argument. l. si qvando 19. C. de testibus* eum omninò cogi posse, nisi testis recusare jure possit testimonium, vel ratione inqvisiti, ut si sit ejus pater, filius, uxor, maritus, gener, socer, privignus, vitricus, sobrinus, sobrino propior, patronus, dominus, juxta *l. 4. ff. de testibus.* Nec Clericorum est confessa enunciare, ut jam dicetur. Sed si agatur de crimine committendo, aut innocentis vita periclitetur, scient Clerici, qvid sui sit officii. Qvamvis in criminibus difficilis probationis & præsertim atrocibus hi privilegiati ad testimonium compelli possint, ut ex dictis patet. Confer. *Ambrosin. dict. tractat. cap. 3. n. 5.* ubi *n. seqq.* consulit, ut qvantum fieri potest, à testibus talibus abstineat judex.

38 Sed si in atrocioribus delictis versetur, & veritas aliter haberi non possit, tunc judex omnino etiam tales personas vocare & compellere potest per *c. 5. X. hoc tit.* qvamvis hodie indistincte compelli putet *Masc. q. 5. num. 47.* aut si scrupulus ipsi inhæreat, an sit crimen atrocius, & an præsenti casu tales privilegiati examinari possint, potest id facere consulto Principe, ut vult *Clarus dict. qvæst. 24. num. 22.* aut consultis peritioribus, ut nostri ferunt mores.

Alii

Alii recusant testimonii dictionem ob juramentum de non revelando præstitum. Sed illi possunt compelli, nam id juramentum est vinculum fallaciæ & injustitiæ, & continet suppressionem veritatis *c. qvisqve C.11. qv.3. cap.1.X. de Crimine falsi.* nullaqve hic opus absolutione à juramento *Masc. d. qv.5. num.55. Farinac. q.78. num. 151.*

Alii recusant testimonii dictionem propter confessionis 40
qvalitatem. Ut si clericus vocetur ad edendum confessionem defuncti, seu occisi, vel ad confessionem edendam, qvam ipse inqvisitus ad exonerandam conscientiam in templo im Beicht-Stuel/ vel in ædibus etiam privatis Sacerdoti fecerat, nam talia revelare nec potest nec debet Sacerdos, qvippe ea non tam Sacerdoti qvam Christo facta, *c. Sacerdos dist. 6. de pœnitent. Hostiensis lib.5. Summæ suæ. tit. de pœnit. num.53. Carpzov. p.1. Jurispr. for. Const.16. def. 70.*

Qvamvis autem Clerici etiam in aliis casibus extra confessio- 41
nem sacram, ubi pœna sangvinis ingerenda, testimonium ferre non debeant Jure Canonico, nisi velint incurrere irregularitatem, ut pluribus docet *Farinacius lib.2. qvæst.61. num.59. & Dd. ab ipso allegati.* Id tamen qvodammodo pharisaicam redolet hypocrisin, qvasi verò administratio justitiæ contineat aliqvid peccati, cum tamen nulla gratior victima Deo offerri possit, qvàm sangvis facinorosi. Ideoqve memini apud nostrates Evangelicos, Clericos compulsos fuisse ad dicendum testimonium, si modo aliunde qvam ex confessione inqvisiti aut partis læsæ aliqvid de facto sciant, ita tamen, ut compulsio illa facta sit per Magistratum Ecclesiasticum.

Postqvam testes comparuerunt, debent in præsentia Rei, 41
Zang. de qvæst. cap.3. num.47. (qvod qvamvis plerumqve non observetur, malè tamen id fieri existimo ob regulam, qvæ habetur *in l. judic. 18. C. de fide instrum.* licet propter absentiam Rei, examen non statim nullitate laborare concedam, nam alias multi processus annullarentur, & præsertim cum judices Magni Viri authoritate se tueantur, sed malè) juramentum præstare de veritate dicenda. Nam testis injuratus nihil probat in civilibus, *l. jurisjurandi 9. C. de testibus.* Qvantò minus in criminalibus? Adeò ut in criminalibus nec consensu partium remitti juramentum possit, per tra-

 dita

dita *Farinacii l. 2. qvæst. 74. num. 58. Masc. d. q. 5. n. 108.* Si tamen rei Advocatus suspicetur non jurasse testes deberet repetitio juramenti fieri. Omnia candide & sincerè fiant, citra speciem mali, posset etiam hic defectus præsentiæ rei per confrontationem corrigi qvodammodo.

43 Atqve ideo neqvidem ad torturam, multò minus ad condemnationem judex sine juramento testium pervenire potest, *Carpz. d. qvæst. 114. n. 63.* qvantumcunq; testis sit religiosus, *Gail. lib. 1. observ. 101. num. 1.* ubi de substantia testimonii juramentum esse dicit, *per d. l. jurisjurandi 9. C. de test.*

44 Imo nec statuto vel consvetudine id introduci posse existimo, ut testi injurato in criminalibus credatur. Nam qvamvis in civilibus concedam *Gailio dict. l. n. 12.* statuto vel consvetudine introduci posse, ut certis personis v.g. Episcopo vel nobili aut Doctori, aut Clerico etiam sine juramento credatur, id tamen qvod *Gailius* ibi de civilibus habet, non puto ad criminalia extendi posse. Ideoq; privilegia Austriacæ ac Svevicæ Nobilitatis de non præstando juramento testium de qvo *Farin. d. q. 74. n. 56. & 58. Gail. d. l. n. 11.* videtur de Civilibus causis intelligendum, ut qvam minimum à jure recedatur. Sed in his consvetudo consulenda, qvamvis difficile sit credere, in mendacissimo & corruptissimo hoc seculo homines veritatem dicere sine juramento.

45 Caveant ergo judices & Notarii (qvia hic sæpius error admittitur,) ne in speciali inqvisitione, ubi de probando crimine agitur, attestata injurata ad Facultatem transmittant. Qvod si fiat, solet à Facultate nostra rescribi: Daß die Zeugen über die *Articulos* noch einst vermittels Eydes abzuhören/und ergehet alsdenn ferner was recht ist/vel qvando non agitur de pœna capitali, & persona judicis Illustris est & fide dignissima, solet etiam ita rescribi: Würden die Zeugen ihre Aussage vermittels Eydes wiederholen/ꝛc.

46 Qvamvis enim dubia sit qvæstio: *An testis sine juramento receptus denuo examinandus sit*, adeò ut communiter tales depositiones testium, qvæ non in continenti, sed ex intervallo juramento confirmantur, nullam fidem facere dicantur, idq; communiter in Camera esse receptum, testentur *Gailius lib. 1. observ. 101. num. 9. Mynſ. Cent. 3. observ. 80. & Cent. 4. observ. 77.* cujus hanc esse dicunt

cunt rationem, qvia antea jurans, religione juramenti non præsumitur falsum dicere. Sed postea jussus jurare ob verecundiam & metum infamiæ, contrarium dicere non audet, *Gail. d. l.* Sed contrarium in processu inqvisitionis receptum esse, testatur *Carpzov. d. sæpius qvæst. 114. num. 69.*

Sed, puto distingvendum inter duas has qvæstiones: Aliud 47
enim est qværere, an dicta testium injurata confirmentur per seqvens juramentum. Ubi cum *Gailio, Mynſ. & aliis* negativè responderem, & periculosum est, præsertim qvando de crimine capitali agitur, ab hac sententia, etiam in processu inqvisitionis recedere. Sed alia qvæstio est, an testis qvi prius sine juramento deposuit, posteà præmisso juramento denuo repeti & examinari debeat, ubi affirmativam rectè defendit *Hartm. Pist. l. 1. qv. 43. n. 10. & seq.* etiamsi publicata sint attestata, idqve per *Clem. fin. de test. ibi: testib. receptis.* argumento à contrario sensu sumpto.

Caveat itaqve judex, ne, si prius sine juramento testes exami- 48
narit, juramentum exigat, qvo prius deposita ac dicta testium confirmentur, sed debebit judex denuo ad articulos examinare testes, ac curare, ut eorum deposita à Notario conscribantur. Ideo illa praxis judicum vituperanda, qva testes examinant, & jubent dicere veritatem, prout juramento confirmare possunt, nam testes sperant, sibi remissum iri juramentum, & sic animosius deponunt. Nec placet praxis qva meridianis horis examinant & juramentum in crastinum differunt, præmitti debebat juramentum, non postponi.

Formula juramenti testium potest esse hæc, qvod testis juret, 49
se velle veritatem dicere super articulis & interrogationibus sibi proponendis, & super tota causa, qvicqvid hac de re sciat, & qvod nec odio, nec pretio, nec amore, nec timore, nec pro alio commodo, qvicqvam falso asserere velit, & nolle se cuiqvam qvid revelare de articulis, aut responsionibus suis, usqve ad publicationem. *Farin. d. qv. 34. n. 5. & num. 17. & seq.* nam expedit, ut testis jurare compellatur de dicenda veritate super tota causa; nam aliàs si hoc non fiat, testis extra articulos deponens, non meretur fidem, *Farin. d. l. n. 14.* Secus si juravit de veritate dicenda super tota causa. Hinc sæpius fieri solet, ut testes conscientiosi redeant sua sponte &

te, & aliqvid referant, de qvo non sunt interrogati, qvia putant se ex conscientia ad id teneri. Ideo debebat etiam juramenti formula inseri.

50 Qvemadmodum verò inqvisitus ipse super articulis sive certis interrogatoriis examinandus, ita etiam testi, qvando crimen probandum est, non est summarie causa proponenda, sed certis articulis includenda, & super distinctis articulis testes sunt examinandi, ita ut unus articulus non plura, sed unicum tantum capitulum contineat, ut *suprà de Examine reorum* diximus.

51 Sed hoc qværitur: *An iidem articuli, qvi propositi sunt reo, etiam testi proponi, & ille desuper examinari debeat?* Qvod fieri posse, non nego. Verùm si reus sit ad negandum instructus, adeò ut ipsi ordine artificiali articuli proponi debuerint, incipiendo à generalioribus &c. ut *suprà* dictum, necessarium esse puto, ut articuli testibus proponendi, paulò aliter formentur, ita tamen ut substantialia & principalia eadem sint. Nam ambages ejusmodi, ac articuli illativi, in testium examine necessarii non sunt. Sed ibi simpliciter testis, sigillatim tamen, super omnibus circumstantiis examinandus est.

52 Qværitur verò hic: *An inqvisitus, interrogatoria super articulorum inqvisitionalium circumstantiis & qvalitatibus, nec non testium personis, formata, exhibens audiendus, & testes super istiusmodi interrogatoriis sint examinandi?* Eqvidem in civilibus talia interrogatoria usus introduxit, eosq; in processu ordinario criminali sive accusatorio adhiberi posse extra controversiam est. Sed in processu inqvisitorio eos adhiberi non debere statuit *Carpzovius in sæpius allegata qvæst. 114. num. 21.* qvi qvidem de terris Saxonicis loqvitur; Sed idem esse statuendum putavi in priori editione, in nostris etiam judiciis, ex hac ratione. Constat enim, processum inqvisitorium de consvetudine omnium ferè locorum esse summarium. Jam verò interrogatoriorum formationem, si ea à parte offerantur, pertinere ad processum ordinarium nemo negat. Sed contrarium Cameris Brandenburgicis placuit, & qvidem non sine ratione. (1.) Ratio, qvâ usus *Oldekop.* dum Interrogatoria contra *Carpzov.* prolixè defendit *Oldekop. decade 1. q. 5.* qvod inter processum ordinarium & inqvisitorium non sit differentia qvoad or-

ad ordinem processus, qvam rationem, si de probatione criminis vel intentionis intelligatur, non adeo improbo. Accedit (2.) qvod in interrogatoriis consistat defensio rei, (3.) qvod si reo concedatur, ut articulos defensionales offerre & super iis testes producere possit, certe magis hoc processum protelaret, qvam si una vice testes à judice producti simul super defensione, qvæ in interrogatione testium consistit, examinentur. (4.) Judices non sunt semper ejus scientiæ vel etiam integritatis, ut interrogatoria pro defensione rei formare possint aut velint, qvin hoc ipsum plerumqve negligunt. (5.) Et ferè eodem res recidit, si reo liceat circumstantias facti & qvalitates proponere & petere, ut super iis testes examinentur, qvæ enim distantia, sive qvis in forma positionis vel interrogationis qvid exponat. (6.) Hoc magis accedit ad veterem formam examinandi testes, nam probabile est, reos interfuisse examini & admissos ad interrogandum testes super aliqva circumstantia. Qva de re *Ant. Matth. ad l. 48. ff. tit. 15. c. 4. n. 9. & Thabor. de confront. p. 2. n. 9.* (7.) Et hoc etiam aliqvoties à Serenissimo nostro Electore paucis abhinc annis & à Cancellaria Neomarchica per Rescripta specialia Judicibus injunctum esse memini. Et idem in summo Tribunali Svecico observari testatur *Mevius p. 2. decis. 328. num. 9.*

Inter Generalia ad personas solet etiam esse hoc, an acceperit aliqvid pro testimonio dicendo, vel accepturum se speret, *Ant. Matth. d. c. 4. n 10.* an contestes omnes sint integræ famæ, an alicujus criminis rei. Si inqvisitus pauper, & patrono destitutus, debent judices ac Notarii, Deum timentes, ipsi ex officio proponere interrogatoria generalia & specialia, citra ambages tamen & prolixitatem, de simplici & plano, qvæ scilicet videntur necessaria ad veritatem indagandam, Reiq; defensionem sustinendam, & qvidem hoc necessarium esse putamus in omni casu, ubi crimen per testes probandum est, potissimum verò qvando reus est rusticus aut idiota, ac homo simplex, vel vitæ prodigus ipse. 53

Sunt autem interrogatoria testi proponenda duplicia. Alia generalia, alia specialia. *Generalia* sunt vel ad personam, vel ad causam. Generalia ergò hæc interrogatoria, tam ad personam qvam causam directa judex ex officio præmittit, ita interrogando testem : 54

1. Wie

1. Wie Zeuge heisse?
2. Wie alt er sey?
3. Weß Standes?
4. Ob er wisse/ wozu er hieher beruffen?
5. Ob er *Inqvisito* feind?
6. Ob er mit dem Entleibten(*vel alia persona læsa*) verwand?
7. Wie er zum Zeugniß komme?

55 Generalia ad causam sunt, qvæ super ipsa causa ejusq; circumstantiis, in qvibus forte defensio rei consistere potest, formantur, qvæ circumstantiæ forte in articulis omissæ v.g. sit articulus Titium cum dispensatore contendisse, 2. Titium tandem furcam vel tridentem sumsisse in manus. 3. cum tridente dispensatorem aggressum esse. Potest interrogari testis, an non dispensator eqvo insidens fuerit armatus &c. annon circumduxerit eqvum qvasi vellet vim inferre Titio. An Titius sumpto tridente promoverit gradum, annon tantum defensionis gratia opposuerit tridentem dispensatori &c. Sed super interrogatorio criminoso non debet testis examinari contra se, nam si invitus non tenetur respondere contra personam conjunctam *l. 4. de. Testibus*, multo minus contra se & nemo se tenetur deferre *l. 3. §. ult. & l. 25. de jure fisci. Farin. q. 73. n. 3. Ant. d. l. n. 10.* ubi limitationes refutat. Idq; in *Recessu Imperii de Anno 1654. §.* Es sollen aber keine. 53. confirmatum.

56 *Specialia* interrogatoria ita instituet judex, ut, qvoties testis interrogatus super ipso delicto, vel super indiciis & præsumtionibus respondet affirmativè, nec addit causam scientiæ, an audiverit, an viderit &c. ex officio qværat causam scientiæ. Et hoc ipse Imperat. Carol. V. reqvirit *in artic. 65. Constitut. Criminalis*, ut testis causam scientiæ alleget, mit Anzeigung ihres Wissens gründlicher Ursach. Ex qvo seqvitur, si ipse testis sponte sua rationē scientiæ non assignet, hanc à judice reqviri debere, qvippe alias invalida erit depositio. Et talis causa scientiæ est qvasi anima animans dictum testis, qvod sine illa est qvasi cadaver inutile nihil agens, ut ex *Baldo aliisq;* tradit in terminis *Ambrosin. in sæpius allegato tract. lib. 1. c. 2. n. 15. & seqq.* prolixè *Farinac. lib. 3. qvæst. 70.* Ego pluries habui præ manibus similes testes, *inqvit Ambrosin. d. l. n. 17.* qvi cum ad rationem sive causam scientiæ reddendam compellerentur,

rentur, nihil concludebant, qvia deprehendebam illos vel proprio judicio, vel ſpe, vel timore, vel amore, vel odio motos, ea qvæ deponebant, deponere, & ſic ſentiebam eorum dictis nullo modo eſſe inſiſtendum.

Qværitur vero, an teſtis etiam non rogatus teneatur ſua ſponte allegare rationem ſcientiæ, ita ut examen alias ſit nullum. 57
Et communiter diſtingvitur inter ea, qvæ directo in ſenſum viſus cadunt, & qvæ non: In illis non tenetur ſua ſponte addere *Farin. q. 70. n. 39.* Sed judex tenetur eam petere. In his qvæ ex parte judicio intellectus percipiuntur, teſtes ſua ſponte cauſam allegare debent, qvia eſt forma depoſitionis, ut ſi ſuper fama, conſvetudine, dominio, furore, æſtimatione rei, ebrietate, ætate, inimicitia, ſuper negativa, Territorio, conſangvinitate, confinibus, dolo & ſimilibus deponere debeant *Maſc. concl. 1376. Farinac. d. q. 70.* Imo deberet in criminalibus ſemper teſtis allegare cauſam ob rei gravitatem qvando ex præcedentibus articulis ea non apparet, *Maſc. d. l. n. 47. Far. n. 14. Thabor. de Confront. p. 1. th. 35. Ant. Matth. d. l. num. 14.* Si autem ratio inepta, talis & depoſitio, nam hæc ab illa regulatur *Maſc. n. 58. Far. n. 12. Ant. Matth. d. c. 4. n. 12.*

Si vero teſtis dicat ſe audiviſſe, tunc interrogandus erit, à 58
qvibus audiverit, & ſi nominaverit eos, à qvibus audiverit, vocandi & illi ſunt, & examinandi, vel in actis conſignanda ratio, ob qvam examinari non potuerint, v. g. ſi mortui ſint, vel abſentes. Etenim tales teſtes, qvi de auditu deponunt, qvando haberi poſſunt illi, à qvibus ſe audiviſſe narrant, ne præſumtionem qvidem faciunt, ſi non habeantur auctores, *Menòch. Conſil. 98. num. 56. & Ambroſin. dict. cap. 2. num. 22.*

Poſtqvam teſtes comparuerunt ad perhibendum teſtimoni- 59
um, non debet judex facilè partes ſuas demandare aliis, ſed ipſe debet examini præeſſe, idq; dirigere. *Auth. apud Eloqventiſſimum C. de fide Inſtrum.* Ideoq; judex unà cum duobus Aſſeſſoribus, adjunctoq; ſibi Notario debebit Teſtes graviter admonere de perjurio, ac de dicenda veritate, exempla etiam Divinæ vindictæ repræſentare, & poſtea invocata Divina ope aggredi examen.

Idq; qvod diximus, ſcilicet ut judex ipſi examini interſit, pro- 60
pterea utile judicamus, ut poſſit eò diligètius explorare, ſitne qvis

testium in depositione inconstantior; qvi vel in substantia rei, vel qvalitatibus & accidentibus à semetipso vel aliis discrepet, seu an in testis moribus, sermone, animiqve motibus qvicqvam perspicere possit, qvod notasse ad rem faciat, ut judicem admonet Imperator *Carol. V. artic. 71.* h. v. So nun dasselbe peinliche Gericht mit Personen /die solche Kundschafft rechtmässiger Weise zu verhören geschickt und verständigt sind/ besetzt ist/so sol der Richter / samt zweyen aus denselben dazu tüglich / und den Gerichtschreiber gemeldte Kundschafft/wie sich im Recht gebühret/mit Fleiß verhören/und sonderlich eigendlich auffmercken / ob der Zeug in seiner Sage würde wanckelmüthig und unbeständig erfunden/solche Umbstände/ und wie er den Zeugen in äusserlichen Geberden vermercket / zu dem Handel auffschreiben.

61 Qvod si verò in judicio vel Scabinatu idonei non sint examinatores, tunc hoc Superiori significandum, & orandus est, ut nonnullis ex officio hoc munus injungat, ne cui injuria fiat, aut reus præjudicio temerè prægravetur, *articul. 72.* P. H. O. qvod pronum adeo est, si debita testimoniis recipiendis, datis & deputatis examinatoribus desit dexteritas & exercitatio, in qva maximum sæpe Rei periculum, imo totius negotii cardo versatur, ut inqvit *Remus in exposit. articul. 72. Ordin. Crimin.*

62 So aber/inqvit Imperat. *dict. articul. 72.* ein peinlich Gericht/ wie denn im Reich an vielen Orten befunden/ mit solchen obgemeldten verständigen Personen nicht besetzt wäre/wiewol dann sonst nach Vermög gemeiner Rechte in peinlicher Sachen ausserhalb derselben Gerichts-Personen nicht Kundschafft-Verhörer der Commissarien gegeben werden sollen / dieweil aber an verständigen Kundschafft-Verhörern viel gelegen ist/ und etwa aus Unverstand dieser Kundschafft-Verhörer keine Verkürtzung geschehe: So ordnen und wollen Wir/ wo obgemeldter Mangel erscheinet / daß dißfals die obgedachte verzeichnete Beweisungs-Articul / durch den Richter und vier Schöppen/doch ohne Nachtheil und Kosten der Partheyen/der vorgemeldten Obrigkeit zugeschickt/und dabey Gelegenheit und Gestalt der Sachen/so viel sie deren Bericht empfangen / angezeigt werde/ darauff denn dieselbe Obrigkeit verständige Kundschafft-Verhörer/ ungeachtet/ob sie nicht des Gerichts wären / auff Ansuchung des / der

Kund-

Kundschafft führen wil/verordnen/ und ob es die Nothdurfft erfordert und begehret wird/*compulsorial-* und *compaß-*Briefe geben sol / dadurch die Zeugen zu gebührlicher Sage zu bringen sind. Und soll demnach gemeldte Obrigkeit/so viel an ihr ist/allen Fleiß thun / und was sie selbst nicht verstünde/bey Rechts-Verständigen Raths pflegen/ damit solche Kundschafft den Rechten gemäs verhöret werde/ doch auch ohne der Partheyen Kosten und Nachtheil. Ex qvo *artic.* benè notandum, judicem non posse Commissarios constituere examinandis testibus, qvi sunt extra judicium.

Alia causa committendi examinis est, si testes qvi examinandi sunt, reperiantur absentes, & extra territorium judicis examinantis constituti, nam eo qvidem casu testes personaliter venire deberent, & se sistere coram judice, qvi de crimine cognoscit, per *Auth. apud Eloqventissimum. C. de fide instrument.* prolixè *Farinac. lib. 3. qvæst. 77. num. 71. & seqq.* de consvetudine tamen observari testatur *Clarus qvæst. 26. num. 3.* ut judex mittat literas subsidiales sive remissorias ad ipsum judicem, cujus jurisdictionem agnoscit testis, ut à judice illo examinetur testis, & hic rotulum examinis Judici causæ principalis transmittat, id qvod etiam observatum memini. 63

Qvamvis hoc casu, etiam judicem criminis, per subsidiales literas sive per subsidium alterius Magistratus ad se vocasse testem sciam, id qvod magis svaserim ob rationem *dicti articul. 71. & seqq.* nixus authoritate *Lanfranci in tract. de testibus num. 19. vers. in criminali autem & Boss. tit. de opposit. contra testium dict. num. 26.* Nam melius est, ut judex causæ principalis audiat testes ipse, à judice ad se transmissos, sed sæpe denegari experientia testatur, forte qvod speciem jurisdictionis præ se ferre videatur, qvamvis nullum remittenti generetur præjudicium, nec ullum titulum impetrans allegare possit, qvam precarium, *Ruland. de Commis. p. 1. lib. 5. c. 4. n. 15.* Sed non possunt judices implorati denegare examen, si articuli ad judicem transmissi. Qvod si nec hoc facere velit judex imploratus, poterit per Superiorem id mandari, vel si Commissarius ad examen deputatus sit à Principe, poterit testes mediatos sui principis subditos tandem per Edictum citare. *Rul. d. l. n. 19.* 64

65 Sed *qvid si testis persona sit egregia, anne hoc casu cessabit privilegium Legis ad egregias ff. de jure jurando?* Ita qvidem vult *Clarus d. qvæst. 26. num. 2.* Contrarium vult *Farin. d. qvæst. 77. num. 10.* Sed nullam video causam, Cur non judex ipse cum duobus Scabinis & Actuario talis personæ ædes accedere, & scientiam ejus super crimine reqvirere possit. Imò qvacunqve id fiat ratione, nihil interest, modo judex testes ipse examinet, id qvod legibus, *dictæ* scilicet *Authenticæ apud Eloqventissimum. & d. artic. 71. & seq.* nec non rationi est conveniens.

66 Qvod ad depositionem testium ipsam attinet, non opus est monere, examen faciendum esse absente reo vel inqvisito, id qvod civilibus & criminalibus judiciis commune est, sed illud probe observandum judici, ut responsionem exigat à teste claram, perspicuam ac categoricam. Nam obscura, incerta & dubia depositio nihil probat, v. g. si verba sint ambigua, ita ut pro inqvisito & contra ipsum interpretationem recipiant, vel si incertò respondeat, per verbum (*fortasse*) aut (*ita videtur*) vel (*si rectè memini*) vel (*ni fallor*) vel (*circiter*) vel (*potest ita esse*) qvos respondendi modos recenset *Dn. Carpzov. in d. qvæst. 114. num. 57. & seq.* & talis respondendi modus usitatus est rusticis & plebejis, qvi nolunt essari veritatem, & verba in ore qvasi pulmentum volutant.

67 Hîc urgendus est à judice testis, ut si certò sciat, eloqvatur categoricè, aut respondeat, se nescire. Memorem ipsum esse debere juramenti præstiti de veritate dicenda, non consistere ipsum coram rusticis, sed coram judice in conspectu summi Judicis, qvem nemo fallere potest & similia. Dicat ergo qvid sciat de hoc articulo, & dicat perspicuis & categoricis verbis.

68 Nec admittenda est responsio de crudelitate in rebus iis, qvæ sub sensum cadunt corporeum, nisi adjiciant testes causam & rationem concludentem per sensum corporeum, qvo veritas possit sciri, *cap. 3. cap. Tertio loc. 13. X. de præsumt. Gometz. tomo 3. resol. cap. 12. num. 10. Carpzov. d. qvæst. 114. num. 59.*

69 Nec admittenda est dispositio de auditu, per *Constitut. Criminal. Caroli V. articul. 95.* Ibi: Die Zeugen sollen sagen von ihrem selbsteigenem wahren Wissen/mit Anzeigung ihres Wissens gründlicher Ursach. So sie aber vom Frembden hören sagen würden, das

sol

ſol nicht gnugſam geachtet werden. Urgendus itaq; eſt teſtis, ut de proprio ſenſu teſtetur, qvod ſi ſe facere poſſe neget, qvod non præſens fuerit, vel non viderit, tunc depoſitio ejus talis, qvalis eſt, conſcribenda eſt, & relinqvendum Sapientibus judicium, qvantum fidei tali aſſertioni ſit tribuendum. Nihilominus reqvirat judex, ut nominet eum, à qvo audiverit, ut *ſupra* diximus. Nam teſtis de auditu deponens nihil probat, niſi nominaverit eum, â qvo ſe audiviſſe dicit. *Farinac. lib. 3. qvæſt. 69. num. 75.* vel niſi de antiqvis rebus deponat, vid. *Menoch. d. l. 2. A. Q. cauſa 475. & Farin. d. q. 69. num. 2. & ſeqq.* ubi plura habet de teſtimonio auditus per totam qvæſtionem.

Interdum præter Notarium & Scabinos etiam interpretes 70
duo ad minimum neceſſarii ſunt ad examen teſtium, qvod duobus fit caſibus. 1. Si Notarius ac Scabini ſint imperiti ejus idiomatis, qvod teſti eſt familiare, qvod in his terris freqventer contingit, ubi multi accolæ Marchiæ noſtræ in Luſatia inferiore Vandalico idiomate utuntur.

2. Si examinandi ſint muti & ſurdi, & literarum pingenda- 71
rum ignari (Nam ſi literas pingere ſciant, poterunt teſtimonium ferre in ſcriptis, *Maſcard. de prob. l. 3. concl. 1395. num. 16.*) ubi ſi teſtis nutibus & ſignis ſcientiam ſuam ſignificare poſſit, adhibendum putarem unum atq; alterum interpretem, qvi ſigna ejuſmodi interpretetur, juxta *Ambroſinum lib. 1. cap. 6.* Sed hac in parte ſcrupuloſum eſſe oportet Judicem & Notarium, nec judex interpretatione unius debet eſſe contentus, ſed cuncta debet tentare ac rimari, ut intellectus ille ſignorum ſit evidens & certus, aliàs vix veram producet probationem, ut ex *Aufrerio aliisq;* dicit *Maſcardus d. concl. 1305. num. 25.*

Diligenter monendus eſt Judex & Notarius, ut omnia teſtium 72
dicta diligentiſſimè verbis formalibus conſignent literis. Reperiuntur, ut opinor ejusmodi homines, qvi ſolent ea tantum dicta teſtium conſignare vel ſcribere, qvæ pro fiſco faciunt, qvæ verò contra fiſcum faciunt, ſolent omittere, qvo nihil magis barbarum & iniqvum eſt. Alii fortè teſtes qvi pro inqviſito deponere incipiunt ſtatim repellunt qvaſi ſuſpectos &c. Contraria ſunt Conſtitutioni Imperatoris Caroli V. qvi *articul. 181. Conſtitut. Criminal.* reqvi-

rit, ut Actuarius eâ fide ac diligentia, qva se jurejurando judici adstrinxit, eoqve ordine qvo singula fiunt, &c. omniaq; demum acta distinctè ac sigillatim consignet. Sed qvoniam in dicto *articul. 181. & seqq.* multa habentur, qvæ ad officium Notarii spectant, ideo verba formalia eorum adducere operæ pretium erit. Ein ieder Gerichts-Schreiber/ inqvit Imperat. *dict. artic. 181.* sol in peinlichen Sachen bey seiner Pflicht alle Handlunge/ so peinlicher Klag und Antwort halben geschicht/ gar eigentlich/ unterschiedlich und ordentlich auffschreiben/ ꝛc. Item: und sol bemeldte Abschreibung durch den Gerichts-Schreiber desselben Gerichts ordentlich und unterschiedlich gethan werden/ ꝛc. & *artic. 182.* Weiters was der Beklagte zu solcher Klag zur Antwort giebt/ so er erstlich ohne Marter derhalben bespracht wird/ das sol auch nach derselben Klage beschrieben werden/ und sol allewegen durch den Schreiber Jahr/ Tag und Stunde/ darauff eine iede vor oder nach berührte Handlunge beschicht/ auch wer iedesmahl dabey gewest sey/ gemeldet werden. Und er/ der Schreiber sol sich/ daß er solches gehöret und beschrieben/ mit seinem Tauff- und Zunahmen selbst auch unterschreiben; & *artic. 183.* ibi: Soll alles eigendlich beschrieben werden/ & *artic. 185.* reqviritur, ut omnia acta ac dicta in examine torqvendi formaliter consignentur, *artic. 188.* Ob denn die Klage von Amptswegen herkäme/ und nicht von sonderlichen Anklägern geschehe/ wie denn die Klage an den Richter kommen/ auch was der Beklagte dazu antworte/ und was fürther in allen Stücken/ nach laut dieser unserer Ordnung deshalben gehandelt wird/ soll wie oben im andern Fall des Anklägers halben gemeldet ist/ beschrieben werden. Et *artic. seq. 189.* Und sol die Beschreibung aller obberührter Handlung/ sie geschehe von Ampts wegen/ oder auff Anklagen/ durch einen ieden Gerichts-Schreiber der peinlichen Gerichte vorgemeldter massen gar fleißig und unterschiedlich nach einander/ und *Libels*-weise geschrieben werden/ und allewege bey iederer Handlung/ wenn die geschehen ist/ Jahr/ Tag und Stunde/ auch wer dabey gewesen sey/ melden. Dazu sol sich der Schreiber selbst auch/ wie ob stehet/ dermassen unterschreiben/ daß er solches alles gehöret und geschrieben habe/ damit auff solche förmliche/ gründliche Beschreibung stattlich und sicherlich geurtheilet/ oder wo es Noth thun würde/ daraus nach aller Nothdurfft gerathschlaget werden möge.

Zu

Zu solchem allem soll ein ieder Gerichts-Schreiber bey seiner Pflicht/ als vor stehet/allen möglichen Fleiß thun/ auch was gehandelt ist / in Geheim halten/und des alles nach laut seiner Pflicht verbunden seyn. Und solch Gerichts-Buch oder Libel allewege nach Endigung des Gerichts-Tages verschlossen und verwahret gehalten werden. Hactenus Imperat. Carol. V.

Imò Judices ac Notarios, qvi verba testium immutant, diabolicè agere ac crimen falsi committere, sangvinem humanum sitire, ac turpia lucra anhelare, conqveruntur *Clarus qvæst.23. n.1. & Ambrosin.lib.1.cap.2.num.9.& seqq.* 73

Et sanè cum in civilibus sæpè adjungantur Notarii, multò magis id necessarium esse putarem in criminalibus, præsertim si Judex vel Notarius suspectus inqvisito videatur. Nec opus est,ut inqvisitus adducat causam suspicionis si tantum adjunctionem petat; Sicut etiam petente inqvisito adjunctos fuisse Notarios memini. Sed cum inqvisiti ut plurimum sint pauperes, qvis Notarius ab iis se adjungi Actuario sustinebit? Ideoq; summa severitate & cum comminatione pœnæ à Superioribus debebat hoc injungi Judicibus & Notariis, ut omnia acta & dicta,omnia, inqvam, formaliter consignarent. Interdum Commissariis & examinatoribus alius adjungi solet Commissarius, petente inqvisito *Thesaur. dec. 255. n.6. Ruland. de Commiss. p.1. lib. 4. c. 14. n. 5.* 74

Cavendum etiam judicibus & Notariis ne æqvipollentia verba fingant,aut locutiones testium contrahant, qvo ipso haud rarò nec absqve summo inqvisiti periculo sensus attestatorum invertitur,sed locutiones testium singulaqve verba à testibus prolata,prout sonant,diligentissimè sunt consignanda, qvod probè notandum esse dicit *Carpzovius dict. qvæst. 114. num. 83.* 75

Nonnunqvam fit,ut testes videantur suspecti,si v.g. vel odio inqvisiti multa sine fundamento garriant, vel etiam in gratiam inqvisiti multa dicant ad eum exculpandum. Imò sæpiùs factum,ut testes prius pro informatione judicis ante litem contestatam recepti,multa deponant in contrarium, post litem contestatam verò, ubi crimen jam probandum est, omnia ferè dicta sua revocent & inqvisitum exculpent,procul dubio ab inqvisito aut ejus cognatis corrupti. Hic ante omnia annitendum judici, uteos in menda- 76

cio capere ac deprehendere possit, *Clarus d. qvæst. 23. num. 1.* ideò diligentissimè omnes circumstantiæ, loci, temporis, aëris, vestium &c. qværendæ sunt ex testibus, ut in mendacio deprehendantur, qvale exemplum elegans Autor historiæ *de Susanna* in Sacris descripsit.

77 Si autem judex animadvertat testem vacillare vel variare (qvamvis hæc duo sint distincta, nam vacillare est hæsitare, variare dissimilia proferre *Dn. Thabor de Confront. p. 4. c. 5. th. 4. p. 128.* idem tamen est utriusqve effectus) & aliqvid antea affirmasse, jam negare, vel dicat se interfuisse qvidem actui, sed non vidisse, adeoqve si testis indiciis sit gravatus, atqve præsumtiones legitimæ contra illum militent; qvod mentiatur, poterit ipsi judex minari torturam, vel etiam territionem realem adhibere, imo ipsum torturæ subjicere potest, per *l. ex l. 15. princ. ff. de qvæst.* ibi: (*non vacillante*) argumento sumto à contrario sensu, *Farin. lib. 3. qvæst. 79. num. 6. ubi agit de teste vacillante & num. 17. ubi idem esse dicit in teste, qvi actui interfuit & dicit tamen se nihil vidisse, nec audivisse. Et num. 20. ubi idem esse dicit, si testis in mendacio deprehendatur.* Tales ergo testes etiam torqveri poterunt, cum Reip. intersit crimina detegi aut innocentiam.

78 Sed observandum judici hoc tantum fieri posse, si testis negotio interfuerit *l. 18. §. 3. de qvæstion.*

79 2. Hoc eo casu tantum locum habere, qvando veritas aliter haberi non potest, *l. 19. de testibus.* qvando enim veritas aliter haberi potest, tunc testis torqveri non potest ullo casu, per tradita *Farinac. d. qvæst. 79. num. 76.*

80 3. Hoc tunc tantum locum habere, qvando testis indiciis urgentibus gravatus est, & in mendacio deprehensus *l. unius 18. §. testes 3. ff. de qvæst. Zang. cap. 1. de Tort. num. 1.* aut vacillaverit, vel extra judicium aliter dixerit, *Clar. qvæst. 25. num. 7.* Id qvod totum judicis arbitrio committendum, *Clar. d. qvæst. 25. num. 9. Bened. Carpzov. qvæst. 119. num. 50.* Rectè itaqve judex faciet, si hac de re Peritiores consulat.

81 Deinde 4. observandum est, tunc demum torturam testi inferendam, si vacillet vel mentiatur circa circumstantias principales, ut puta locum & tempus, non circa secundarias & accidentales,

les, *Farinac. d. qvæst. 79. num. 14. Zanger. d. cap. 1. num. 18.* item si caussas mutationis probabiles allegare non possit, & similia.

Nec hoc intelligendum est de teste in dignitate constituto, *Farin. d. l. num. 15. Clarus d. qvæst. 25. num. 6. Dn. Carpzov. d. qvæst. 119. num. 49.* 82

His tamen casibus, qvibus testis vacillans fidiculis subjici potest, semper levius qvam ipse inqvisitus principalis torqvendus est *Ambrosin. d. tract. lib. 1. cap. 4. num. 17.* In tortura autem potest interrogari de iis qvalitatibus, circa qvas antea variavit, qvando etiam suspicio est ipsum esse corruptum ac subornatum, interrogari potest, à qvo subornatus fuerit, ad priorem suam dispositionem revocandam vel mutandam. 83

Sed qværitur hic: *an judex semel facta probatione, in processu inqvisitionis, & testibus jam examinatis, alios ac novos articulos formare, aliosq; testes producere possit?* In processu ordinario, ubi Accusator intervenit, id fieri non posse putat *Carpzov. d. qvæst. 114. n. 13.* Sed de eo, an generaliter verum sit, dubito. Nam in processu Accusatorio publicatis attestationibus, non admittitur productio novorum testium super iisdem vel contrariis articulis ob textus genarales in *Nov. 48. cap. 4. & Clem. 2. de Testibus.* Sed hoc de mero partis interesse & petito intelligendum, qvia tamen judex accusatori succumbenti in Criminalibus actionibus subvenire debet, & in judicem nulla cadit suspicio fraudis aut subornationis, etiam in ordinario novos testes produci posse puto, labascente accusatore criminis publici atrocis per allegata *Farin. q. 75. num. 414.* licet ipse sed male dissentire videatur. Imo & in civilibus hic idem esse puto, si publicum interesse versetur in causa civili, ut si de tributis agatur, cum ex officio judex id semper facere possit *Farinac. q. 75. num. 184.* Conf. *Rulandus de Commiss. p. 1. l. 6. c. 3. num. 16.* 84

Sed de processu inqvisitorio affirmamus, posse judicem super iisdem articulis vel novis, alios ac novos testes producere, cum *Claro qv. 61. num. 2. Farinacio lib. 3. qvæst. 75. num. 412. Carpzovio d. qvæst. 114. num. 14. Ambrosino lib. 3. cap. 1. num. 35.* id qvod *Dn. Carpzovius d. l.* probat ex *l. 18. §. 1. ff. de qvæstion.* ubi de repetitione torturæ agitur, qvæ locum non habet, nisi nova indicia interveniant. Si autem nova indicia reqviruntur, hæc probari debent, & testes denuo producendi sunt. 85

86 Imò illa ſententia exinde etiam probatur, qvod ſecundùm Dd. commune placitum, judex ex officio tam in civili, qvàm in criminali cauſa, teſtes alios ſuper iisdem articulis vel novis examinare poſſit, *Gail. lib. 1. obſervat. 107. num. 5. & l. 1. de P. P. cap. 18. n. 7.* ratio eſt, qvia in judice non ſubeſt timor ſubornationis, nec ei in cauſa concluditur, neqve publicatio adfert ei novam notitiam, per text. *in c. cum Johannes 10. circa finem X. de fide inſtrum. Gail. d. cap. 18. num. 8.*

87 Et hoc maximè neceſſarium erit, ſi judex ex atteſtatis diſcat, crimen non eſſe ſatis probatum, ſed tantùm unicum teſtem depoſuiſſe de delicto. Nam unius teſtis dictum non ſufficit ad condemnationem, *Deut. 19. verſ. 15, l. jurisjurandi 9. §. 1. C. de teſtibus c. licet univerſis 23. X. de teſtibus artic. 67. Conſtit. Crimin.* Etiamſi princeps eſſet, *Matth. Steph. ad artic. 22. Conſtit. Criminal. Carpzov. d. qvæſt. 114. num. 84.* Qvando igitur judex videt crimen non eſſe ſufficienter probatum, tunc videre ipſum oportet, an ſint alii de facto probabiliter informati, vel an ſint alia indicia, qvibus reus prægravari & veritas criminis ſufficienter probari poſſit, ut Aſſeſſores Facultatis vel Scabinatus ſufficientem habeant de facto informationem, nec interlocutoriam ſententiam ferre neceſſe habeant, ſed definitivam ferre poſſint.

88 Imò ſi judex relictis atteſtatis, videat teſtis unius depoſitionem eſſe obſcuram, & ſcrupulum poſſe injicere Referenti, poterit judex denuo vocare teſtem & ei injungere, ut dictum ſuum obſcurius explicet, juxta practicam *Clari qvæſt. 61 num. 5.*

89 Non abs re etiam facturum putarem judicem, ſi finito examine, adhuc ſemper teſti articulos prælegeret in continenti, non poſt aliqvot dies, ac ipſius reſponſiones, & moneret, ut attendat, an hæc ab ipſo ita depoſita fuerint, an habeat aliqvid qvod adhuc addendum, vel corrigendum ſit, de cujus utilitate vid. *Proceſſ. Civil. c. 20. num. 96.*

90 Nonnullis etiam in locis, Italiæ præſertim, ſubſcriptio ipſius teſtis reqviritur, qvamvis his locis id non obſervetur, ſi tamen judex ſubſcribi atteſtata curet à teſte, non malè faciet, ſed potius diligentiam ac dexteritatem ſuam demonſtrabit.

91 Abſolutô examine qvando videt, proficuum eſſe, ut atteſtata

ad diſ-

ad disponendum reum ad dicendam veritatem, & ad ipsum convincendum, ipsi prælegantur, vocare debet inqvisitum, & curare, ut depositiones testium per Actuarium prælegantur, *Ambrosin. d. tract. lib. 2. cap. 8. num. 8.*

Anteqvam autem hoc fiat, bonum erit reum cum circumspe- 92
ctione interrogare, an testes examinati sint reo noti vel ignoti, an amici vel inimici, an ipsos habeat pro veridicis & fide dignis. Poterit etiam judex aliqvos, qvi reo noti sunt & familiares, nominare, licet revera examinati non fuerint, & de omnibus his tam examinatis qvam non examinatis interrogandus est reus, an habeat pro amicis, aut nesciat inqvisitus, an omnes, an verò qvidam, & qvinam eorum sint examinati; qvia si de examinatis tantùm qværat Judex, facile conjiciet inqvisitus, ad qvem finem prædicta qværat. Et hæc interrogatio est maximi momenti, qvia ex hac deprehendet judex, qvæ objici possint contra personas testium, & potest se summarie informare, an verum sit id, qvod objicitur, ut reus non possit falsas exceptiones testibus objicere, *Follerus in Practic. Crimin. tit. etsi comparent. n. 10. Ambrosin. dict. cap. 1. n. 4. & seqq.*

Si dicat, hunc esse sibi inimicum, vel infamem, interrogan- 93
dus est de causa inimicitiæ, vel infamiæ, earumqve qvalitate, *Ambrosinus dict. cap. 8. num. 6. & seqq.* qvi *num. 8.* Consilium hoc suggerit, ut judex in genere prius interroget: an inqvisitus habeat inimicum aliqvem, qvod si respondeat negando, tunc securus erit judex qvod testibus inimicitiam opponere non possit; qvod si verò se habere inimicos responderit, de causis inimicitiæ interrogandus, ut antea dictum.

Poterit etiam judex præsumtiones, si qvas inqvisitus habet 94
contra unum & alterum testem, argumentis & præsumtionibus legitimis elidere & diluere, & reum ita convincere, juxta *Ambrosin. dict. cap. 8. num. 11.*

Non erit abs re formulam interrogandi ex *Ambrosin. d. l.* mu- 95
tatis tamen nonnullis subjicere. Qværatur igitur inqvisitus.

1. Ob er *Titium* kenne? R. Ja.
2. Wie lange er ihn kenne? R. drey Jahr.
3. Mit welcher Gelegenheit sie in Kundschafft kommen? R. Sie wären Cammeraden gewesen unter einer Compagnie.

4. Ob sie auch Freundschafft gehalten hätten ? R. Ja.
5. Ob er *Titium* für seinen Freund achte? ꝛc. R. Ja.
6. Ob er ihn auch für einen warhafftigen Mann halte? R. Ja.
7. Ob er auch *Sempronium* kenne? R. Ja. Et hic similiter, ut de Titio, in reliqvis.
8. Ob er auch *Proculum* kenne? ꝛc. Deinde qværatur de Petro, Ja/ er kenne ihn/der wäre sein Feind.
9. Was er für Ursache ihm geben? R. Diß wäre die Ursache/daß etc.
10. Ob er auch vermeine/daß diß eine so grosse Ursache sey/daß daher ein *Capital*-Feindschafft entstehen solle? R. *&c.*
11. Ob auch vermuthlich / daß aus dieser Ursache ein Mensch sein Heil und Seligkeit verschweren solte? R. *&c.*
12. Ob *Inqvisit* erweisen könne/daß ihm *Petrus* Feindseligkeit erwiesen? R. Könte solches nicht erweisen.
13. Ob *Inqvisit* mit Jemand mehr in Feindschafft lebe? R. Mit keinem.

96 His præliminaribus præmissis ad rem propius veniat, & qværat: Ob *Inqvisit* nicht die Warheit sagen wolle / ob er an vergangenen Montage auff der Gasse mit dem blossen Degen gangen? Er solle nur bekennen/die Zeugen wären schon abgehöret. Qvod si pergat in negando, jubeat judex, ut Actuarius judicii reo clara voce prælegat depositionem testium. Peracta lectione qværat: *qvid reus opponere possit contra attestata.* Fortè dicet, se mirari qvomodo hoc Sempronius dicere potuerit. Sed tunc ulterius urgendus est, ut fateatur delictum, cum de Sempronio antea dixerit, se habere ipsum pro amico & homine fide digno; esse ergo hunc testem omni exceptione majorem. Postea & alterius testis depositio ipsi prælegatur.

97 Qvod si verò sic exprimi à reo veritatis confessio non possit, ad *confrontationem* tandem perveniendum est, qvæ est Commissio testium cum ipso inqvisito. Praxi enim inveteratâ receptum, ut testes cum inqvisito confrontentur, & in præsentia ejus repetant & confirment prius à se dicta, *Clarus §. fin. qv. 45. num. 14. Farin. lib. 3. qvæst 72. num. 139. Carpzov. d. qvæst. 114. num. 75.* Confrontatio qvidem alio etiam fine fieri potest, ut si reus cum denuntiante,

te,vel inqvisiti inter se,vel testes cum testibus confrontentur, sicut etiam utile est,inter testes si sit dissensio, ut hi prius inter se confrontentur;ultimus tamen confrontationis finis,ut reus cum testibus antea inter se confrontatis tandem confrontetur.

Et hæc confrontatio tunc adhiberi solet, qvando depositio testium contraria est confessioni rei,in Examine factæ, ut inqvisitus eò melius convincatur,ex visu,trepidatione,atqve gestibus, & ad confitendum crimen inducatur *Clarus d. l.* Et ego qvidem svadeo,inqvit *Ambrosinus lib. 2. cap. 9. num. 6.* ut qvando testes habere potes,illos semper confrontare cures,qvia reum magis urget,juxta *l. si postulaverit 27. §. qvæstione 7. ff. de Adult. Chartar. in Pract. interrog. reorum. l. 3. c. 1. num. 83.* Præsentibus enim testibus reus vix poterit diffiteri veritatem, nam ubi testes singulas delictorum circumstantias commemoraverint, fieri non potest, qvin titubet reus,nec possit commodas adducere responsiones, *Chartar. d. c. 1. num. 1.* Qvamvis itaqve semper necessaria non sit, ut processum omissio ejus vitiet,juxta *Clarum d. l.* utilis tamen valdè est ad confundendum reum,& ut vitium,si qvid in examine commissum,corrigi possit in confrontatione *Dn. Thabor d. tr. p. 3. th. 22. p. 91. Clarus §. fin. q. 45. n. 4.* & facit etiam ad innocentiam rei probandam. Licitum enim est reo testes interrogare de una vel altera circumstantia & falsitatis,si possit,convincere *Thabor p. 2. th. 9.* licet effectu suo interdum destituatur; Interdum supplicium convicti ob confrontationem cum complice fugitivo differtur, *l. 29. d. de pœnis. Thabor. p. 5. c. 1. th. 23. &c.* 98

Imò interdum etiam necessaria est in nonnullis casibus, 1. qvando depositio testis certa esse neqvit,nisi mediante inspectione ipsius inqvisiti v. g. si testis dicat, se non cognoscere reum de nomine,sed tantùm de visu,vel qvando ipsum tantùm describit per signa,qvo casu ob timorem subornationis Itali non inqvisitum solum,sed cum ipso alios duos,& qvidem eos, qvantum fieri potest,vestitu,facie & statura similes,repræsentare testi solent,& qværere,qvem horum viderit in platea &c. ut videri est ex *Claro d. q. 45. num. 14. in fine. Ambrosin. d. c. 9. n. 28.* 2. Necessaria est, qvando socii sunt criminis. 99

3. Necessaria etiam est confrontatio, qvando testes ipsi inter 100

se con-

ſe contrarii ſunt, de qvo *Clarus d.l. Ambroſinus d.c. 9.n.23.* & *Oldekop. tit. 4. obſ. 4. Thabor. p. 2. th. 8.* nec opus novo juramento, ſed juramenti præſtiti commemoratione *Thabor. p. 51. cap. 1. theſ. 14. pag. 138.*

101 In aliis verò caſibus, qvando teſtis vel ſuper ipſo delicto vel ſuper indiciis ac circumſtantiis contra inqviſitum deponit, qvamvis non ſemper abſolutè neceſſaria, maxime tamen utilis eſt Confrontatio, qvæ ita facienda, ut prælegatur teſti ejus depoſitio, poſteà interrogandus, an ea adhuc pro veris habeat, qvo affirmante, interrogandus eſt reus, qvid contra teſtem excipiat; tum teſtis replicare debet, inqviſitus duplicare, & ſic deinceps. Poſtea alius teſtis cum eo confrontandus ſive committendus.

102 Notandum tamen, confrontationem non debere fieri initio proceſſus ad nudam alicujus facinoroſi nominationem, qva in parte ſæpius errare judices qveritur *Carpzov. d. qv.114. numer. 78.* qvamvis ex confrontatione aliqvid maculæ accedere rectè neget *Thabor c.5. p. 1. th. 19.* Sed ea facienda eſt poſt Rei teſtiumqve examen, atqve adeò, ſi ita inſtituatur, nullum eſt periculum, qvaſi judex injuriam inferat, qvin ſi omittat confrontationem, eaqve non parum conductura videbatur ad eliciendam veritatem, non ſemel judicibus reſponſum memini: Debere anteqvam ad ulteriora progrediantur, reum cum teſtibus confrontare.

103 Singuli autem teſtes confrontandi ſunt cum inqviſito, non plures ſimul, *Chartar. d. pract. lib. 3. cap. 1. n. 95.* & *Ambroſin. dict. lib. 2. cap. 10. num. 15.* Ut enim teſtes non ſunt examinandi in turba, ita nec teſtes confusè confrontandi, & confunderetur aliàs clamore tot teſtium inqviſitus *Thabor d. c. 1. th. 16.*

104 Interdum tamen judici à confrontatione ad diſparitatem perſonarum abſtinendum eſt, v.g. ſi filius contra patrem examinatus ſit in caſibus permiſſis, vel ſervus contra dominum, vel vilis perſona contra nobilem ac in dignitate conſtitutam, vel timidus ac pauper contra potentem. Qvia difficulter ejusmodi perſonæ contra prædictos in eorum faciem ſua dicta confirmare audebunt, qvo caſu à confrontatione abſtinendum *Chartar. lib. 3. c. 1. n. 94.* & *Ambroſ. d.c.10.n.16.* & *ſeqq.* niſi id exigat neceſſitas *Thabor p. 1. th. 33.*

105 Demum ad convincendum etiam reum facit, ſi ei offerantur

inſtru-

inſtrumenta vel literæ; & interrogetur, an literas has recognoſcat pro ſuis, monſtrata initio tantùm ſubſcriptione; qvod ſi ſcriptas eſſe ſua manu negaverit; jubendus eſt verba nonnulla à judice dictanda ſcribere, ut ex formatione literarum convinci qveat, juxta *Pract. Ambroſini l. 2. cap. 10.*

CAPUT VIII.
MEMBRUM TERTIUM, *DE* REI DEFENSIONE.

SUMMARIA.

1. *An rei defenſio audienda ſit? A. num. 1.*
2. *An defenſio hæc à Principe tolli poſſit? N. n. 2.*
3. *An à ſtatuto? N. n. 3.*
4. *An à conſvetudine? N. n. 4.*
5. *Anne hoc pugnet cum natura proceſſus ſummarii? N. n. 5.*
6. *An etiam defenſio Rei audienda in delicto notorio? A. n. 6. & ſeq.*
7. *An in delicto atrociſſimo? A. num. 8.*
8. *An in delicto confeſſo? A. n. 9.*
9. *An cognati inqviſitum defendere volentes audiendi? A. num. 10.*
10. *An ipſe judex ex officio defenſionem Rei qværere teneatur? A. num. 11.*
11. *Qvo tempore id fieri debeat? R. n. 12. & ſeq.*
12. *An omiſſio defenſionis Rei proceſſum reddat nullum? A. num. 14.*
13. *An ante litis conteſtationem reus debeat audiri cum ſua defenſione? N. n. 15.*
14. *An reus poſſit renunciare ſuæ defenſioni? A. num. 16.*
15. *An reus qvi nihil adduxit ſed iterum petit ad defenſionem novam ſe admitti, ſit audiendus? A. num. 17.*
16. *Qvæ ſit forma defenſionis? R. num. 18.*
17. *Copia proceſſus cujus ſumtibus ſit danda? R. num. 19.*

18. Spa-

Peracto

PEracto examine testium, non protinus ad fidiculas properandum, multo minus sententia condemnatoria præcipitanda est, *Zinger. cap. 3. de tort. num. 41.* Sed legitima inqvisitio reqvirit, ut de innocentia Rei qværatur, Reus etiam cum defensione sua audiatur, ejusqve probatio & deductio legitima admittatur. Non enim solùm probationes contra reum, sed & argumenta defensionis, qvæ per se favorabilis est, accuratè & diligenter consideranda sunt, ut monet *Clarissim. Carpzov. in Pract. Crimin. qvæst. 115. in princ.* 1

Atq; hæc reorum defensio adeò privilegiata est, ut ne â Principe qvidem summo tolli possit, *Clarus §. fin. qvæst. 49. num. 14.* ubi omnes Doctores hoc tenere asserit, *Farinac. lib. 1. qvæst. 39. num. 18.* cujus ratio *in Clem. Pastoralis prope finem de Sent. & Re judic. ibi: qvæ* (defensio) *provenit à jure naturali, & cum illa, qvæ juris naturalis sint, Imperatori tollere non licuerit.* Etsi princeps mandaret reum torqveri indefensum, non debet judex tali mandato fulminatorio obedire, ut ex *Ursillo* refert & seqvitur *Farinac. d. l.* 2

Neqve ergò à statuto tolli potest: nam si Princeps de plenitudine potestatis non potest hanc defensionem adimere inqvisito, ut Dd. tradunt magno numero allegati à *Farinacio d. l. num 18.* multò minùs per statutum id fieri potest, ut concludit post alios *Farinac. d. qvæst. 39. num. 25. & Flammin. Chartar. lib. 4. de arte interrogand. reorum. cap. 1. num. 166. Nevizanus cons. 60. num. 2.* 3

Et multò minus à consvetudine talis defensio tolli potest, ut concludit *Farinac. d. concl. 39. n. 29.* Mirari ergo satis non possum hanc materiam raró in judiciis criminalibus occurrere, & judices vix rescriptis Principum eò adduci interdum posse, ut ad defensionem suam reum admittant, cum tamen sponte id facere, imò defensionem Rei supplere ipsi teneantur, ut postea videbimus. Sed enim sumtuum nonnulli majorem rationem habent, qvam sangvinis humani, pretiosissimo Sangvine DEI redempti. Nec se ignorantia juris excusare possunt, cum nec in foro soli excuset, & cum affectare aliqvis non debeat, in qvo vel intelligit vel intelligere debet infirmitatem, vel ignorantiam suam alii periculosam futuram, *l. 8. §. 1. ff. ad L. Aqvil.* nec tuebuntur se consvetudine, qvia scire debent, consvetudinem istam, qvâ reo defensionis deductio 4

Es wäre denn/daß der Gefangene solche Ursache seines Leugnens fürwendet/dadurch der Richter beweget würde zu glauben/daß der Gefangene solches Bekäntniß aus Irrsahl gethan / alsdenn mag der Richter ihm zum Beweiß solches Irrsahls verstatten.

10 Et non tantùm reus, sed & cognati ejus ad defensionem ipsius admittendi sunt, ut probat *Carpzov. d. qvæst. 115. n. 6. 7. & seqq.* qvia si publicè omnium interest innocentiam defendi, *l. Servum 33. §. 2. ff. de procurat.* qvantò magis id interest cognatorum? qvi liti alterius nomine se offerre possunt, *l. 1. §. ult. ff. de postul. l. Sed & hæ personæ. 35. princ. ff. de procurat.* probatur item hoc per *art. 47. Constit. Crimin.* ibi: Die Zeugen/ so der Gefangene oder seine Freunde deßhalb stellen wolten / & paulo post: solche obgemeldte Kundschafft-Stellung auch den Gefangenen/oder seinen Freunden / 2c. Tertium etiam, cujus non interest, ad probationem innocentiæ admittendum esse, ex aliis tradit *per L. non tantum ff. de Appell. Menoch. lib. 5. præsumpt. 48. num. 2.* Sed qvando cognati defendere volunt in capitali crimine, præsentem oportet esse reum, non absentem, nisi excusanda absentia, vel in casibus iis, ubi absens condemnari potest & ita textus contrarii, ut *l. pen. §. 1. de publ. jud. l. 33. §. 2. de procurat. l. 3. C. de Accus.* conciliari solent, confer. *Thabor. in Coroll. t. de confront. c. 3. Ant. Matth. t. 13. cap. 4.* Sane si criminosus præsens initio fuit, postea v. absens, tunc potest contra absentem procedi *l. 10. de publ. judic.* Ergo hoc casu etiam cognati ad defensionem admittendi.

11 Imò si neqve inqvisitus, neqve cognati ipsius ad defensionem innocentiæ se offerant, judex ipse ex officio defensiones Rei qværere, easqve supplere debet, qvamvis hoc non petat inqvisitus, *l. si non defendatur 19. ff. de pœnis.* ubi expresse JCtus reqvirit, ut ipse judex, qvi cognoscit, de innocentia Rei seu inqvisiti qværat, etiamsi à nemine defendatur, *Wesemb. in tit. de Accus. num. 12. vers. qvin etiamsi reus. Boer. decis. 165. num. 1.* ubi judicem ex officio de innocentia Rei etiam non allegata inqvirere debere ait, *Menoch. lib. 5. præsumt. 48. num. 3. Zang. d. c. 3. de tort. num. 41. Carpzov. d. qvæst. 115. num. 13.* referens Dominos Scabinos Lipsienses, ubi ex actis aliqvo modo colligere potuerunt innocentiam Rei, exactiorem ejusdem deductionem ac probationem judici injunxisse, & certis interrogatoriis

gatoriis præscriptis testes denuo examinare jussisse. Et sæpe etiam id in nostra Facultate factum scio, ut licet probata fuerint indicia, & qværentes putaverint torturæ subjiciendum reum, non tamen statim tortura fuerit decreta, sed super certis articulis & circumstantiis pro eo facientibus ulterior investigatio visa fuerit necessaria. Neqve ita judices processum præter rem prolixum fieri conqveri possunt, nam si ipsi defensionem Rei (ut debent) suscepissent, Facultas non opus habuisset ea interlocutoria, sed ad ulteriora, & forte etiam ad definitivam progredi potuisset. Imò judex debet ex officio inqvisitum interrogare, qva ratione innocentiam suam docere possit?

Sed qværitur: *Qvando Judex de innocentia Rei qværere possit & debeat?* & qvamvis id fieri possit qvocunq; tempore & in qvacunqve parte judicii, *l. unius. 18. §. cogniturum. 9. ff. de. qvæst.* etiam post conclusionem, *d. §. cogniturum. Farinac. d. q. 39. n. 82.* imò & post sententiam latam, si antea id non factum, vel minus legitimè per *l. 1. §. si qvis ultr. 27. ff. d. qvæst. Farinac. d. q. 39. num. 1.* Nihilominus tamen potissimum & ratione ordinis processus id necessarium est, ut fiat postqvam testes contra reum examinati sunt, *Clarus qv. 49. n. 8.* ubi copiam processus dandam esse dicit, postqvam testes repetiti sunt. Intelligit autem per repetitionem testium illud examen, qvod ad probandum delictum instituitur, & qvidem hæc de Rei innocentia inqvisitio institui debet regulariter, anteqvam torturæ subjiciatur reus, per *l. desertorem. 3. §. si ad diem. 7. ff. de Re mil.* ubi dicitur, qvod miles non possit ut desertor condemnari, imo neqvidem torqveri, non prius auditis ejus defensionibus. Et idem probatur *ex d. l. unius §. cogniturum ff. de qvæst.* si cum præcedentibus §§. conferatur. Sed omnium maximè hoc probatur *per art. 47. Constit. Crimin.* & primo qvidem *per Rubricam*: Außführung der Unschuld/vor der peinlichen Frage zu vermahnen/ und weiter Handlung darauff/ deinde ex §. So in der ietztgemeldten / ibi: So in der ietztgemeldten Erfahrung des Beklagten Unschuld nicht funden wird/ so soll alsdenn NB. auff vorgemeldte Erfindung/ ꝛc. peinlich gefraget werden. NB. Non esse reum torqvendum prius, qvam innocentiæ inqvisitio præcesserit. Et ita etiam statuunt *Boss. in Practic. crimin. tit. de ind. & consid. ante torturam. num. 74. Ant. Gom.* 12

lib. 3. resol. cap. 13. n. 21. Farinac. lib. 1. qvæst.38. num. 3. & qvæst.39. n. 1. & seqq. Est enim tortura res gravissimi præjudicii, ut notum, ideoqve ea præcipitanda non est.

13 Si autem judex adeo præposterè egerit, & torturam inflixerit, anteqvam in Rei innocentiam inqvisiverit, non tamen debet properare ad sententiam, sed adhuc qværere de innocentia Rei tenetur, *Farin. d. q. 39. num. 32.* Sed impune non feret præposterationem illam, nam judex anteqvam admittatur ad defensionem inqvisitus, si eum torqveat, tenetur inqvisito, *art. 20. Const. Crimin.* & à superiori puniendus *d. Const. art. 61.*

14 Imò si inqvisitus ante torturam petiisset se admitti ad defensionem, & nihilominus fuisset subjectus torturæ, totus processus redditur nullus, & tortura illa nullius est effectus, nec confessio per ejusmodi torturam elicita reo præjudicat, *per Clement. Pastoralis de sent. & re judic. in fine Farinac. d. qvæst. 39. num. 84.*

15 Sed si inqvisitus, anteqvam ad interrogatoria respondeat sive litem contestetur, petat se ad defensionem admitti, non esse eum audiendum *suprà* diximus *membro præcedenti.* Nam per litis contestationẽ ipsi nullum creatur præjudiciũ, ut qvidem fit per torturã.

16 Sed *an reus potest renunciare defensioni suæ?* Affirmo, si ideo renunciet, qvia se sontem fatetur, & dicit sibi constare, qvod nullam habeat defensionem, secundum *Dd. allegatos à Farin. d. qv. 39. num. 55.* licet *n. seq.* cum *Angelo in l. sed etsi qvis §. qvæsitum ff. si qvis caution.* & *Claro §. fin. qvæst. 49. num. 16. aliisq;* suadeat judicibus ut caveant, ne inducant inqvisitum ad renuntiandum, ne supplicia Divina super se & posteros suos convertant, si iniqve fecerint. Qvamvis autem inqvisitus renunciaverit defensioni ac termino ad defensionem sibi assignato, si tamen pœnitentiâ ducatur, non prohibetur (non obstante illa renunciatione) se defendere, & hoc nemine contradicente placuisse refert *Farin. d. q. 39. num. 57.*

17 Sed qværitur: *Si inqvisitus jam antea ad deductionem innocentiæ admissus nil probaverit, & denuò se offerat ad probandam innocentiam, audiri debeat?* Et rectè id affirmat *Carpzov. d. qv. 115. n. 35. & seq. & qvæst. 116. num. 67.* modo inqvisitus novam causam vel fundamentum novum, qvod speciem aliqvam veritatis, vel probabilitatis habeat, alleget. Nam eo casu non tantùm secundâ, sed

& ter-

& tertiâ vel qvarta vice admittendus esset, cum non de tritico legato, nec de glande legenda hîc agatur, sed de vita hominis.

Sed propositi nostri ratio nos monet, ut ad formam defen- 18
sionis deducendæ accedamus. *Forma* ea in eo potissimum consistit, ut inqvisito detur copia processus, nomina testium, *Farinac. d. l. num. 85.* & inprimis attestata, ut possit se defendere, & suas exceptiones proponere contra personas vel dicta testium, *Clarus §. fin. qvæst. 49. num. 2. Bened. Carpzov. d. qvæst. 115. num. 99. Mevius p. 2. dec. 321. 28.* & qvi prolixè Dd. alios laudat *Farinac. d. qvæst. 39. n. 2.* etiamsi summariè & ex officio procedatur, *Farin. d. qvæst. 39. n. 71.*

Et qvidem copia danda est sumptibus petentis, vel amicorum, 19
vel cujuscunq; qvi se ad defensionē Rei offert. Regulariter enim qvicqvid à judice expediendum, id fit sumtibus petentis, nisi scil. inqvisitus sit pauper & egenus: Tunc enim judex copias indiciorum & attestatorum inqvisito communicare, & totum processum defensionis Rei formare debet sumtibus ex publico erogatis, ut hoc expresè constituitur *in art. 47. in fine Ord. Crim.* ibi: Wo aber der Verklagte oder seine Freundschafft/ solchen obgedachten Kosten Armuth halber nicht ertragen oder erleiden möchte/ damit denn nichts desto minder das Ubel gestrafft/ oder der Unschuldige wider Recht nicht übereilet werde/ so sol die Obrigkeit oder das Gerichte die Kosten darlegen/ uñ der Richter im Rechten verfahren. Qvæ qvidē verba de processu ordinario, qvando accusator intervenit, loqvuntur, ratio tamen allegata etiam ad processum inqvisitionis pertinet: non enim minus in processu inqvisitionis, qvam ordinario cavendum est, ne innocentia maneat indefensa ob inqvisiti paupertatem. Imò major hic militat ratio. Nam si ubi accusator intervenit, judex ex publico debet ferre impensas, multo magis hoc facere debet, qvando ipse ex officio ad tuendam suam jurisdictionem procedit. Et ita de processu inqvisitionis hunc §. intelligit ipse *Carpzov. sæpius alleg. qvæst. 115. num. 20.*

Unà cum copia attestatorum, etiam spatium legitimum ad 20
se defendendum reo est dandum, *Farin. d. q. 39. n. 3.* & interim judex ad ulteriora progredi non debet, *Farin. d. l. n. 7.* qvod spatium, qvia in jure nullibi est definitum, merito est arbitrarium, ut sit vel duarum septimanarum, vel mensis, prout rei magnitudo, vel te-

stium

ſtium abſentia id reqvirit, modò non ſtudioſè arctetur inqviſitus. Judex enim non debet ipſius defenſionem impedire, ſed potius adjuvare eandem, benè perpendens illam Chriſti ſententiam, qvâ menſura menſi fueritis, eâdem menſura Judex diſtrictus remetietur vobis, qvæ in hac materia allegatur *in c. qvaliter & qvando 17. X. de Accuſat.* ubi Gratianus monet inqviſitionis proceſſum non ex odii fomite, ſed ex caritatis debere proficiſci affectu. Sanè ſi notoria videantur delicta, ſpatium paucorum dierum ſufficit qvod Italis ſolemne eſt.

21 Dato ſpatio ad ſe defendendum, danda inqviſito copia alloqvendi Advocatos & amicos. Nam data defenſione, data etiam videntur ea, ſine qvibus defenſio peragi neqvit, *argum. l. 2. ff. de jurisdict.* facit *l. unius 18. §. cogniturum 9. ff. de qvæſtionibus & Conſtit. Crimin. Carol. V. art. 88. in pr.* ibi: Klägern und Antwortern soll iedem Theile auff sein Begehren ein Fürsprecher aus dem Gerichte erlaubet werden/ *Farinac. d. qvæſt. 39. & ſeq. Dn. Carpzov. d. qvæſt. 11. num. 88. & ſeq.*

22 Sed cum metuendum, ne aliqvi Advocati interdum inqviſitum ad negandum inſtruant, vel protelationibus inutilibus judicem morentur, & ejus jurisdictionem eludant, lites procraſtinent, in deductione innocentiæ farraginem allegatorum hinc inde colligant, & ſua marſupia farciant, poſt alios *Dn. Carpzovius in alleg. qvæſt. 115. num. 93.* ideo videndum, qvomodo huic occurri poſſit malo, ne ſcilicet judices ab inqviſitione deterreantur, nec tamen innocentia maneat indefenſa.

23 Remedia autem poſſunt eſſe hæc 1. ut non detur reo Advocatus alius, niſi ex medio Adſeſſorum, ut aliqvis ex Scabinis jubeatur ſurgere, & inqviſitum, qvantum de jure licet, defendere. Id jubet Imp. Carol. V. *d. art. 88. in princip.* ibi: Soll ein Fürsprach aus dem Gericht erlaubet werden/ dieselben sollen bey ihren Eyden die Gerechtigkeit und Warheit/ auch die Ordnung dieser unser Satzung fordern/ und durch keinerley Gefährligkeit mit Wissen und Willen verhindern oder verkehren/ das sol ihnen also durch den Richter bey ihren Pflichten befohlen werden.

24 Et qvamvis nonnulli objicere poſſent, hunc articulum desvetudine eſſe abrogatum, neqve id hodie obſervari; ſciant tamen

men isti, legem non usu non aboleri, aliàs innumerabiles leges in Digesto infortiato, qvæ forte nunqvam aut raro sunt observatæ, tollerentur, qvia non contigerunt tales casus, aut ejus legis beneficium non fuit petitum, *Angel. Aretinus in proœm. Inst. §. igitur. n. 2. & 4. Sichardus ad l. 5. C. de jurisdict. num. 3. Carpzov. lib. 2. responsorum. tit. 2. resp. 38. num. 10.*

Deinde si omninò esset aliqvis extra Scabinorum numerum dandus Advocatus, dandus non est qvem inqvisitus elegerit, sed eligendus est, qvi est religiosior & prudentior, ac probitate magis conspicuus, ut vult *Carpzov. d. qvæst. 115. num. 93.* 25

Tertio aliud consilium suggerit ipse Imp. Carol. V. *in d. art. 88.* ut si Patronus extra numerum Adsessorum petatur, hunc judex pius jurejurando adstringat, ut qvod justum erit, & qvantum de controversi facti veritate constabit, & juris scientia poterit, ante omnia secundum præscriptum Criminalis Constitutionis Carolinæ reum defendat, neqve dolo malo malitiavè sciens volens jus calumnietur, personas criminetur, hocq; pacto qvo minus recte de delicto statuatur, impediat, animosqve judicum pervertat, & in transversum qvovis colore rapiat, *Remus in d. art. 88.* 26

Qvartum consilium suggerunt JCti, ut sc. judex faciat qvidem reo potestatem alloqvendi patronum & amicos, sed semper in præsentia judicis vel Notarii, vel alterius Assessoris, *Ambrosin. tract. sæpe alleg. lib. 3. c. 1. num. 22.* Id qvod præsertim in his casibus prope necessarium est. 1. Si versemur in delictis atrocissimis, *Farinac. d. qvæst. 39. num. 14.* 2. Si inqvisitus sit potens opibus & amicis, *Farin. d. l.* vel si ob aliam causam metuat judex, ne testes subornentur falsi, vel aliæ suspiciones urgeant, *Farin. d. qv. 39. num. 68. & n. 13.* Præter hos etiam casus aliàs hoc utile esse putaverim. 27

Facit etiam hoc ad præscindendam prolixitatem, ut judex in judicii loco possit Advocato dare originalia & injungere, qvo in loco judicii perlegat & perlustret, qvæ necessaria fore putaverit, decerpat & consignet brevibus, idq; velle videtur *Farinac. d. qv. 39. num. 115.* & saluberrime hoc in Electoratu Saxoniæ in juris necessitatem tractum esse refert *Dn. Carpzov. d. qv. 115. n. 110.* Sed conqveritur *Oldekop. decade 1. qv. 1.* impediri sæpe reorum defensionem, nec omnia inter legendum ab Advocato minus perito observari 28

 posse,

posse. Et licet dissentire videantur *Caryc. decis. 74.* & *Vinc. de Franchis. dec. 629.* videntur tamen de testibus ante litem contest. examinatis loqvi. Expediens autem hoc esse posset, ut judex per Notarium attestata statim bis describi curet, ut alterum exemplum statim inqvisito tradi possit.

29 Sed ardua qvæstio est: *Anne etiam inqvisito non petenti danda sit copia indiciorum & attestatorum, vel an etiam reo non petenti offerri debeat copia, ita ut eam habere possit?* Et communis, æqvior, ac verior sententia est, omninò offerri debere etiam non petenti, non tantùm ante condemnationem, qvod concedit *Clarus §. fin. qvæst. 49. num. 4.* Sed etiam ante torturam, qvod affirmamus cum *Farinac. d. qv. 39. num. 91. Gailio lib. 2. de P. P. cap. 7. num. 8. in fine, Zangero cap. 3. tract. d. qvæst. num. 4. & seqq. Ambros. d. lib. 3. c. 1. num. 5.* idqve probant Doctores per *l. si non defendatur 19. ff. de pœnis*, aliàs condemnarentur multoties absolvendi Et confessio per præposteram torturam elicita non habet legitimum effectum legitimæ torturæ, *Oldekop. tit. 4. obs. 2. n. 10. & seq. & decade 1. q. 1. num. 26.* hinc solemus torturæ in concipiendis sententiis præmittere defensionem, dato reo aliqvo spatio. Et sicut judex diligens est ex officio faciendo ea omnia, qvæ pro fisco faciunt contra inqvisitum, cur non etiam ex officio diligens esse debet ac sollicitus in concedendo defensiones inqvisito contra fiscum? Cùm aliàs favorabiliores sint partes Rei, qvam Actoris. Eaqve sententia probatur etiam *ex art. 47. Const. crimin.* ubi dicitur, judicem ex officio qværere debere, num & qva ratione de sua innocentia docere possit reus, num qvid se eo tempore, ipso die, hora, qvibus Crimen esse admissum dicitur, cum aliis in loco non suspecto fuisse &c. possit probare, qvo ipso sane, ni fallor, judex inqvisito offert communicationem indiciorum & circumstantiarum.

30 Neqve distingvimus, utrum reus peritiam juris habeat, an non, *Zangerus d. c. 3. num. 7. & seqq.* Præsertim cum experientia doceat, eos qvi aliqvo modo juris sunt periti, qvando ipsi sunt in carcere, in facto magis sæpe errare, qvam alios, *Farin. d. q. 39. n. 96.* qvamvis distinctioni illi largiri hoc possim, facilius mereri excusationem judicem, qvando peritiori rerum forensium non petenti copias non offert, qvam si id negligat in rustico & idiota incarcerato,

cerato, qvo ſenſu non admodum improbarem illam *Marſilii & Follerii* diſtinctionem relatam à *Farinac. d. l. n. 92.*

Sed qværitur: *Si inqviſitus petat communicationem atteſtatorum, & judex qvidem non deneget, ſed reqvirat, ut inqviſitus prius explicet qvalitatem defenſionis, qvâ ſe defendere velit, an hoc caſu teneatur inqviſitus exprimere qvalitatem defenſionis*, v.g. An teneatur exprimere, ſe probaturum, teſtes eſſe pecunia corruptos, vel probaturum ſe fuiſſe provocatum, vel examen teſtium laborare nullitate, & ſimilia. Et ad hoc teneri inqviſitum, videtur negare *Clarus d. qvæſt 49. n. 5.* & præcipuè *Farinac. d. qvæſt. n. 79.* Cujus hæ ſunt rationes, metuere enim poteſt reus, ne defenſio explicata ſupprimatur. Non enim omnium judicum æqvalis eſt integritas, nec poteſt reus deliberare, qvam habere velit defenſionem, niſi perluſtratis atteſtatis contra ſe receptis, & priusqvam locutus fuerit cum ſuo Advocato, & poſſet fieri, ut inqviſitus non relevantem proponeret defenſionem, & poſſet tamen in actis defenſionem relevantem & idoneam reperire. Et ſane nollem judici autor eſſe propter has aliasqve rationes, ut reum nolentem defenſionem ſuam exprimere, anteqvam atteſtata communicentur, ſtatim ad torturam rapiat. 31

Sed poſt communicata atteſtata & acta, omninò reus exprimere tenetur defenſionem ſuam, ut ſuper ea, an relevet, an non, deliberare poſſit judex, *juxta art. 151. Ordinat. criminalis.* 32

Qvando igitur inqviſitus petiit, ut ad defenſionem admittatur, judex data vel ad legendum communicata ipſi copia actorum, ut ſupra dictum, ſpatium temporis certum asſignabit, intra qvod innocentiam ſuam deducere reus debebit, qvo temporis ſpatio inqviſitus vel articulos defenſionales exhibebit, ſuper qvibus teſtes, vel anteà productos, vel alios examinare petet: vel etiam absqve productione teſtium argumenta defenſionis ſuæ, qvæ vel in jure conſiſtunt, vel ex actis inqviſitionalibus ipſis elucent, vel inſtrumentis probari poſſunt, pro informatione judicis in ſcriptis offeret, & innocentiam ſuam deducet, ita tamen ne limites inqviſitorii & ſummarii proceſſus excedãtur, & ut ambages evitentur, nec inqviſitorius proceſſus in ordinarium commutetur, idq; non tantùm in Saxonico foro, de qvo teſtatur *Carpz. d. q. 115. n. 69.* Sed & in foro, ubi jus civile militat, ſatis freqventatũ eſt, ut experientia teſtatur. 33

34 Qvamvis *ex Constit. Crimin. art. 151. & seq.* hic etiam processus observandus sit, ut si inqvisitus eas adferat causas, qvæ à pœna ordinaria ipsum liberare possint, si probentur, judex reum interroget, an possit exceptionem suam probare, qvod si se facturum promittat, exceptionis seu defensionis suæ capita, & qvæ alias pro sua defensione allegare potest, ab actuario consignari curet. Habito igitur prudentum sive JCtorum, aut Scabinorum consilio, si defensionis capita pro idoneis & concludentibus habeantur, reum ad probationem eorum judex admittet. Si vero capita illa defensionis, licet facta rei probandi facultate non relevantia visa sint, probandorum eorundem copia (qvia frustra susciperetur negotium) reo deneganda *d. art. 151. & seq. & ibi Remus:* ex qvo apparet, articulos defensionales sive capita defensionis à judice reprobari regulariter non posse, nisi habito prudentium consilio.

35 Sed *qvid si inqvisitus producat testes domesticos, vel testem unicum, qværitur, anne judex tales examinare teneatur?* Videtur qvod non, qvia supervacaneè ad sacramentum & testimonium adigerentur, qvorum dicta nullam factura esse fidem, in ipso examinis exorsu palam sit, ut loqvitur *Wesembec. in π. tit. de testib. num. 3.* Sed judex, qvalescunqve testes producat inqvisitus, eos examinare debebit. Et illorum, ad qvos acta inqvisitionalia transmittuntur, judicio committat, qvantum fidei illorum testium dictis adhibenda sit. Nam cum defensio Rei summè privilegiata sit, ideo receptum est in criminalibus, ut ad defendendum reum etiam testis unicus produci qveat, & huic cæteris paribus fides habeatur, *Farinac. qv. 63. n. 42,* ubi plures citat *Carpz. d. qv. 115. n. 75. & seq.* Nam potest unius testis dictum comparabile esse dictis duorum testium, qvi contra reum examinati, v. g. duo testes ajunt Clodium fuisse occisum à Milone, unus testis ait Clodium fuisse rixæ autorem. Hic testis unicus impedit, qvo minus condemnari possit, sed à tortura eum non liberat *Farin. q. 63. n. 42. & seq.*

36 Receptum etiam est, consangvineos & domesticos hic testes admittendos esse, (cœteris paribus) *Farin. qv. 54. n. 33. Masc. l. 1. concl. 68. num 3. 8. & 9. & concl. 408. num. 25. & concl. 412. num. 7.* Qvanta autem fides testibus consangvineis, aut domesticis habenda sit, id erit Doctorum juris vel Scabinorum judicium atq; arbitrium,

trium. Nam non poterit plene innocentia per cognatos probari, ſed via poteſt ſterni ad ulteriorem defenſionem, *Ant. Gabr. tit. 1. de teſtibus concl. 13. n. 5.* Nec per teſtem domeſticum poteſt reprobari directo teſtis claſſicus *Grammat. conſ. 12. n. 19. & conſ. 32. num. 12.* nec reprobabit ejus dicta *Farin. q. 54. n. 36. Maſc. concluſ. 412. num. 8.*

Intentio autem inqviſiti duplex eſt, vel enim vult probare, 37 ſe planè eſſe abſolvendum, adeoq; ſe nocentem eſſe negat; vel ſe nocentem qvidem vel ſontem eſſe fatetur, verùm pœnam vult minuendam eſſe, ut qvod irâ fecerit, vel provocatus, vel non ſponte ac animo deliberato, ſed ex laſcivia &c. vel qvod ex vulnere non deceſſerit, ſed ex malo regimine vel alia ex cauſa, & ſimilia, de qvibus agit *Dn. Carpz. d. qvæſt. 115. à num. 41. usq; ad num. 66.*

De qvibus pluribus agere nolumus, cum intentio noſtra ſit, judicem tantùm informare, qvomodo ille proceſſum inſtituere debeat.

Cum autem inqviſiti ſuam innocentiam defendere ſoleant 38 tàm κατασκευαςικῶς, id eſt, ſuam innocentiam argumentis nonnullis adſtruendo, qvàm ἀνασκευαςικῶς, id eſt, argumenta, qvibus impugnatur refutando, dum ſcilic. impugnant vel perſonas teſtium, vel eorum dicta, qvod fortè ſint contraria &c. ideò non opus eſt, ut judex prolixè cum iis diſputet, neqve concedendum eſt Advocatis, ut multis informationibus atqve allegatis juris acta cumulent, ſed injungendum eſt, ut ſub pœna breviſſimis defenſionem deducant.

Qvod ſi etiam contrarietas atteſtatorum allegetur, poterit 39 judex teſtes tenuo citare & jubere, ut ipſi ſua dicta interpretentur, vel poterit teſtes ipſos inter ſe confrontare, cum etiam judex publicato proceſſu defenſionis nihilominus teſtes etiam contra inqviſitum producere poſſit, juxta *Clarum §. f. qvæſt. 61. n. 3.* & poſſit iterum teſtem examinare, ut declaret dictum ſuum obſcurum. *Clarus d. qvæſt. 61. num. 5.* poteſt etiam repetitio teſtium à reo peti Mevius *p. 2. dec. 321. n. 10.*

Si contra perſonas teſtium falſo qvid opponat inqviſitus, ju- 40 dex poterit breviſſimis falſitatem detegere, ſed omnia ſine prolixitate, ita tamen, ut omnia qvæ falſo allegantur à reo, breviſſimis diluantur.

41 Et qvamvis hæc sine sumptibus fieri non possint, judex tamen de his conqveri non habet opus, cum qvicqvid inqvisitus producit ac allegat, sumptibus ipsius fiat, ut *supra* dictum est *de copia attestatorum*, & probatur *ex art. 153. Constit. crimin.*

42 Hæc de eo casu, qvando ipse inqvisitus petit, se admitti ad defensionem. Sed si inqvisitus non petat se admitti, si fortè sit homo rusticus & pauper, à judice qværendus esset reus, qva ratione de innocentia sua judicem docere possit. Imprimis, nunqvid se eo tempore, ipso die, hora, qvibus crimen admissum fertur, cum aliis personis alibi fuisse, ostendere possit &c. ut habetur *in art. 47. Constit. crimin.* ut etiam *supra* obiter diximus.

43 In *Recessu Electoris Brandenb. Joachim. Friderici laudatiss. memoriæ de an. 1602. art. 20.* specialiter de processu inqvisitorio constitutum, inqvisitum processum ordinarium petere posse. Verba sunt hæc: Und auff daß unsere Unterthanen/desto mehr auch im Wercke zu spüren/daß wir Niemands zur Ungebühr mit Straffen zu belegen gemeynet/als haben wir gnädigst bewilliget/im Fall Jemands/weß Standes oder Würden er wäre/welcher als straffbar angegeben/sich bedüncken liesse/daß ihme durch des Fiscals summarische Inqvisition zu viel geschehe/und sich auff dieselbe mit uns der Straffen halben nicht abfinden würde/sondern seine Unschuld auszuführen vermeynte/und lieber einen ordentlichen Proceß begehrte/daß alsdenn eine unpartheyische causæ cognitio angestellet werde/der Gestalt/daß der Fiscalis seine Klage Gerichtlich anbringen/darauff der Beklagte gehöret/Beweiß und Gegen-Beweiß geführet/oder nothdürfftige Erkundigung auffgenommen/und endlich darauff rechtliche Erkäntnüß ergehen und erfolgen sollen. Id qvod etiam *in Recessu de anno 1611.* repetitum.

44 Sed qvod de processu ordinario in *dictis Recessibus* dictum, non puto obtinere in Crimine Robbariæ vel rapinæ ac latrocinio. Nam ea de re Serenissi. Elector. Brand. cum Ducibus Pomeraniæ & Megapolit. *in supra allegatâ Conventione* ita sanxit: So soll auch mit dem Proceß *summariè* hindurch gangen/und alle Weitläufftigkeit vermieden und abgeschnitten werden. Inmassen denn die allbereit im Reich *publicirte Constitutionen*, dahin auch außdrücklich anweisen/der tägliche Gebrauch und *observantz* des gantzen Reichs dasselbe auch

be auch nicht minder bestätiget. Id qvod postea repetitur in §. Ebenmäßiger Befehlich/ꝛc. Ibi: summarische Processe/ꝛc. Nec puto obtinere superius allegatum privilegium eo casu, qvando inferiores judices procedunt per inqvisitionem; nisi Princeps ex certa scientia & causa id jubeat.

CAPUT VIII.

MEMBRUM QVARTUM,

DE

TRANSMISSIONE ACTORUM INQVISITIONALIUM AD COLLEGIUM JURIDICUM.

SUMMARIA.

1. *Qvid tractatâ delicti probatione & Rei defensione qværendum? R. n. 1.*
2. *An non judex transmittere teneatur acta ad Jureconsultos? A. num. 2.*
3. *Id qvod probatur* ex Const. Carol. *num. 2.*
4. *Ex Jure Divino. num. 4.*
5. *Ex Constitut. Elect. Brandeb. num. 5.*
6. *Officium Notarii qvodnam sit ante transmissionem? R. num. 6. & 7.*
7. *Officium judicis acta transmissuri. num. 8. & 9.*
8. *Cautela perversa maleficorum. 10.*
9. *An citandus reus ad inrotulationem. n. 11.*

PEractâ jam delicti probatione & audita Rei defensione, jam qværi solet & debet: *An delictum sufficienter probatum, ut condemnari reus possit*; vel: *An indiciis ita gravatus, ut torturæ subjiciendus sit*, vel: *An absolvendus sit*, &: *An reus innocentiam suam satis deduxerit?* 1

Sed cum hæc altioris indaginis sint, ideoq; super his punctis debent 2

debent acta ad Collegium Juridicum, i. e. Facultatem Juridicam vel Scabinatum, vel etiam Superiorem transmitti.

3 Idqve *Imperator Carol. V. Augustiss.* in Constitut. Crim. *multis in locis inculcavit*, ut *artic. 7.* ibi: So sollen sie deßhalben Rath bey der Obrigkeit/ so der Ende ohne Mittel die peinliche Obrigkeit hat/oder sonsten an Enden und Orthen/rc. Idem *art. 91. & artic. 147. ibi:* und in solchen Urtheilen die Urtheiler bey den Rechts-Verständigen rc. item *artic. 151. ibi:* mit gehabtem Rath der Rechts-Verständigen rc. *articul. 160. ibi:* Und dieweil solche Ermässigung in Rechtsverständiger Leute Vernunfft stehet/ so wollen wir/ daß in solchem ietzt gemeldten Fall / so offt sich der also begiebet / die Richter bey den Rechts-Verständigen/rc. *artic. 161. ibi:* Gebrauchung der Rechts-Verständigen. *artic. 219. ibi:* Wo aber die Obrigkeit *ex officio* und von Ampts wegen wider einen Mißhändler mit peinlicher Anklag oder Handlung verführe/so sollen die Richter / wo ihnen Zweiffel zufiele/ bey den nechsten Hohen Schulen/Städten/ *Communen*, oder andern Rechts-Verständigen/ da sie die Unterricht mit wenigsten Kosten zuerlangen vermeinen/Rath zu suchen schuldig seyn. Et ibi additur ratio: Als auch zu diesen grossen Schaden grosser Fleiß gehöret / rc. Alia ratio exprimitur *in artic. 105.* Qvia omnium delictorum pœnæ nominatim expressæ non sunt; Fieri enim non potuit, ut singulorum maleficiorum species singulæ recitarentur & adnotatis pœnis declararentur. Alia ratio habetur *artic 146.* ibi: Welche zu Zeiten gar subtile Unterscheid haben/so dem gemeinen Manne / so an Gerichten sitzet/ welche gnug verständig oder begreifflich können gemacht werden. Et qvinqvagies septies hoc in Carolina Constitutione injungi, observavit *Oldekop. obs. 7. num. 11.* Causa partim in summa gravitate rei, partim qvod non ubivis in judiciis copia virorum JCtorum, partim qvod pleriqve qvi non tenentur respondere, soleant hoc onus defugere. Unde & à JCtis Consiliariis Principum sæpe Acta transmitti videmus, *Oldenkop. d. l. n. 6.* & noluerunt aliqvi JCti suo judicio pœnam definire, *Angelus cons. 199. n. 1. & Carpzov. q. 116. n. 12.*

4 Atqve hæc qvæ de consulendis peritioribus dicta sunt, etiam in Verbo DEI fundamentum habere videntur. Si occultaverit (inqvit Moses *Devt. cap. 17.*) res tibi in judicio, inter cædem & cædem,

dem, inter litem & litem, aut inter plagam & plagam, è rebus controversis inter portas tuas, tunc ſurgens adſcendes ad locum, qvem elegerit Jehova Deus tuus: Et adibis Sacerdotes Leviticos, vel ad ſummum judicem, qvi erit diebus illis, ut conſulas eos & indicent tibi ſtatum illius judicii. Alias cauſas tranſmiſſionis vide ſis apud *Dn. Carpz. p. 3. qvæſt. 116. n. 11. & ſeq.* ſcil. judicis imperitia, affectus, & ne judici culpa imputari poſſit, qvod iniqve torſerit, conf. *Oldekop. d. obſ. 7. per totam.*

In Noſtro Electortau Brandeburg. acta ad Facultatem Academiæ hujus vel ad Dom. Scabinos Brandeburg. tranſmittuntur, qva de re extat *Conſtit. Elector. in Receſſu de Anno 1611. tit. 11.* his verbis: Und als auff ſonderbarer unſere gnädigſte Verordnung auch numehr in peinlichen Sachen bey unſer Juriſten-Facultät zu Franckfurt an der Oder eben ſo wol / als von dem Schöppenſtuhl zu Brandenburg geurtheilet und geſprochen werden ſol / ſo hat ſich ein ieder in zutragenden Fällen billiger an denſelben beyden Oertern / denn in andern außländiſchen Schöppen-Stühlen in allen und ieden peinlichen Sachen der rechtlichen Belehrung und Urtheil hinfüro zuerholen / ꝛc. 5

Ut verò acta integra Collegio jurisperitorum tranſmittantur, Actuarii officium erit, ea fide atqve diligentia, qva ſe jurejurando judici adſtrinxit, eoq; ordine, qvo ſingula geſta ſunt, diſtinctè & ſigillatim conſignare, ut etiam *ſupra* dictum. Conſignabit enim, qva occaſione ad judicem devenerit diffamatio, qvid teſtes pro informatione curiæ recepti depoſuerint, & qvo die, qvibus Scabinis præſentibus, qvomodo reus fuerit incarceratus. Examen item Rei atqve omnia actitata ſumma fide & diligentia conſcribet Actuarius, etiam ea, qvæ ad defenſionem Rei ſpectant, niſi velit pro perjuro haberi & impio. Cuivis actui annum, diem, horam, qvi præſentes adfuerint, adſcribet, nomen ſuum addet, nihil arcani foris effutiat &c. qvæ omnia ab ipſo reqvirit Imper. Carol. V. *art. 181. & ſeqq.* qvos *ſupra* allegavimus *membro ſecundo hujus capitis num. 70.* Et hos articulos *ſcilicet 181. & ſeqventes*, Actuarii, qvando præſertim in graviſſimis hiſce negotiis verſantur, ſæpè perlegere debent. 6

Multa in tranſmiſſione delinqvuntur, à judice & Notario qvi in epiſtola ad Collegium Juridicum transmiſſa interdum ſolent 7

narrare qvasdem circumstantias, vel describere personam inqvisiti, de qvibus tamen in actis nihil habetur *Oldek decade 1. qvæst. 9.* qvamvis nec talibus elogiis credere debeat, is qvis sententiã concipit, cum judici extra Acta qvid asserenti non credatur ex *Masc. concl. 35. n. 3. Cothm. vol. 3. cons. 30. n. 128. & hos laudans Oldekop. d. tit. obs. 8. n. 4.* nisi tale qvid sit, qvod non in vituperio sit & reum non gravet. v. g. si referant, fatuum esse inqvisitum, sicut *Oldekop.* in fine narrat de fatuo suspecto. Item qvod inqvisitus sit robustus vel infirmus hoc vel illo affectu laborans, qvæ in dictanda tortura observanda, sed forte melius super his etiam circumstantiis testes simul examinantur. Formulas missivarum actis adjunctarum habet ex *Volckman. Oldekop. q. 9. in fine.*

8 Transmissio autem facienda est celerrimè, ne captivi diuturniore carcere divexentur, aut etiam juste condemnationi eximantur, *arg. l. de his 5. C. de Custod. reorum. Carpz. d. qvæst. 116. num. 29.*

9 Transmissurus autem Judex acta Criminalia ad Collegium Jurisperitorũ ante omnia acta adhuc cum Notario perlegere debet, ut si aliqva circumstantia sit nondum pervestigata, vel depositio alicujus testis obscura, ut id ante transmissionem emendetur & ita ex actis Jurisperiti plenam informationem sumere possint, idqve velle videtur ipse Imp. *art. 7.* P. H. O. ibi *in fine*: Alle Umbstände und Gelegenheit ihres Verfahrens des Verdachtes eigendlich in Schrifften berichten.

10 Solet interdum versutior inqvisitꝰ contra unam vel alteram facultatem, à qva forte abnutivum responsum acceperat, excipere, nulla aliqva causa allegata, vel etiam plura excipere collegia, ut forte transmittantur Acta ad id Collegium, à qvo responsum favorabile acceperat. Ideoq; non admittat Judex talem indiscretam & plerumq; fraudulentam exemtionem, & facultatem eximendi ad duo vel tria Collegia restringat, ut tradit *Oldekop. d. t. 1. obs. 9. n. 4.* Qvamvis hoc tum in judicio Cameræ & aliis hoc observatum sciam, ut in epistola Actis sive civilibus sive criminalibus præfixa rogetur Collegium si pars Consilium aliqvod à Collegio petierit & impetraverit, ut Acta sine responso statim remittantur, & sumptus ferantur ab ea parte, qvæ hoc celavit, qva ratione fraus partium detegitur. Qvando inqvisitus ex magna familia oriundus, curet judex

dex,ut tabellarius revertens diversè à priore via redeat,nam memini aliqvando insidias structas vel struendas fuisse.

An autem ad inrotulationem actorum & iis remissis ad inspectionem sigilli citandus sit inqvisitus,de eo agit *Oldek. decade 1. q. 7.* ubi utrumqve adfirmat,sed consvetudo contraria est,qvam tamen nec ego laudo. Omnia apertè erant agenda & candidè. Et consvetudo ista ita temperanda,ut copia missivæ inqvisito vel e. g. cognatis exhibeatur,si petant. Et 2. Actis sit præfixus numerus Actorum,ex qvo apparere potest,an minus, an plus ad Collegium transmissum fuerit. 11

CAPITIS VIII.
MEMBRUM QVINTUM.
DE
TORTURA EJUSQVE EXECUTIONE.

SUMMARIA.

1. Inqvisitus non confessus delictum, penè tamen convictus torqvendus est, n. 1.
2. Qvæ sint Indicia delictorum communia. n. 2.
3. Indicia homicidii. n. 3.
4. Indicia Veneni. n. 4.
5. Infanticidii. n. 5.
6. Furti. n. 6.
7. Magiæ. n. 7.
8. Incendii. n. 8.
9. Adulterii. n. 9.
10. Proditionis. n. 10.
11. Sed tortura est remedium subsidiarium. numer. 11. & seqq.
12. Judex non nisi examine accurato præmisso debet qværere de tortura. n. 14.
13. Confessioni per torturam sine indiciis factam, expressæ non credendum. n. 15.
14. An unum indicium sufficit. num. 16.
15. Annon sufficit si plura indicia & singula per unum testem probata. n. 17.

39. An

1 INterdum transmissis actis à Collegio Jurisperitorum responderi solet: *Inqvisitum negantem nec plenè convictum torturæ subjiciendum esse.* Hic ergò de tortura aliqvid seu qvæstionibus dicendum, non qvidem ex professo, cum judicem tantùm informemus, qvomodo ille processum inqvisitionis ritè formare debeat, ideò de indiciis ipsis parum, sed magis de executione torturæ hic agemus. De indiciis ad torturam sufficientibus videri poterunt *Farinac. l. 1. operum criminal. qv. 36 qv. 37. qv. 42. & multis seqq. Dn. Carpzov. qv. 120. & aliqvot seqq. Zangerus de qvæst. & tort. c. 2.* Et sanè nullam graviorem puto esse deliberationem in Collegiis Juridicis, qvam ubi de tortura infligenda agitur.

2 Indicia ad torturam reqvisita sunt argumenta delicti perpetrati demonstrativa & dividuntur in communia & certorum maleficiorum propria, vel dividuntur in certa & verosimilia, certa dicuntur, non qvod ad condemnationem sufficiant, sed qvod in innocentem cadere neqveant *Carpz. qv. 120. n. 13.* Verosimilia autem si plura occurrant, possunt ad torturam sufficere, P. H. O. *art. 27.* Commune indicium est testis unici omni exceptione majoris depositio certa de actu immediato, *art. 30. Zang. c. 2. num. 16. & seqq. Carpz. q. 121. num. 10. & seqq.* Anteacta vita *l. 5. §. 6. de re milit.* Fama sinistra, qvæ vel est de vita anteacta vel de hoc crimine, cujus jam postulatur. Et hujus duo reqvisita, 1. personæ sublestæ qvalitas, 2. origo famæ probabilis ante processum orta & qvidem non à levioribus hominibus, P. H. O. *art. 25. Zanger. d. c. 2. num. 80. & seqq.* Inventio rei qvæ ad inqvisitum pertinet in loco delicti, *art. 29. Zang. d. l. n. 33. Carpzov. q. 121. num. 4.* Confessio extrajudicialis, qvod limitant Dd. Si in confess. etiam in judicio perseveret *Farin. q. 82. n. 27. & Zang. c. 2. n. 40.* qvam limitationem rident alii merito, nam si in judicio non revocet, non torturæ, sed condemnationi locus, vid. alleg. ap. *Farinac. n. 28.* & *Carpz. d. q. 21. n. 47.* Deprehensio in loco delicti perpetrati *d. art. 25.* qvæ est vel certa vel verosimilis, qvando ex vestitu, vestigiis colligitur, qvod ibi persona fuerit deprehensa, *Mascard. conclus. 831. num. 11.* Transactio super crimine *Zang. d. l. num. 116. & seq. Carpz. n. 56.* maximè si super non capitali *Oldekop. tit. 4. obs. 5.* Nominatio socii si 1. in genere interrogatus de sociis & 2. facta fuerit per torturam 3. si cum

cum omnibus circumstantiis expresserit 4. ut non præsumatur inter eos inimicitia 5. ut nominatus judici sit suspectus 6. ut perseveret in nominatione *Carpz.q.21. n. 20.* per *art. 31. Const. crim. Zang. d. l. num. 47. & seq.* conferatur tamen *Dn. Thabor in tr. de confront. cap. 5. & 52. pag. 93.* qvo etiam referri potest confessio mandatarii. *Zang. d. l. num. 78. Carpzov. n. 40.* præsertim si convictus de sociis interrogetur non tantum confessus per *l. ult. C. de Accus. l. 16. §. 1. de qvæst. l. 29. 1. de pœnis &c. Anth. Matth. t. 16. c. 3. n. 15.* Conversatio cum malis in idem genus delicti prolapsis *d. art. 25.* modo ea non habeat causam probabilem & concurrant alia adminicula, *Carpzov. d. q. 120. num. 38. & seq.* Inimicitia capitalis etiam facto inqvisiti causata vel etiam recens reconciliata, *d. art. 25. Zanger. c. 2. n. 114.* Spes commodi *d. art.* sed hæc ad homicid. videtur pertinere. Commune etiam indicium est fuga, si scil. ante inqvisitionem motam qvis fugiat, aliud cum jam processus est inchoatus *Mascard. concl. 920. n. 15.* ubi hoc de indicio plura, & *Zang. d. c. 2. num. 91.* Variatio & mendacium, si ea scilicet in substantialibus *Zang. d. c. 2. num. 100.* Titubatio & trepidatio, nisi natura homo meticulosus & alia concurrant, si qvis rogatus nihil respondeat, non si literas accipiat & taceat *Zang. n. 108.* sed & hoc tamen officium periti judicis reqvirit, si cum suspecto in aurem locutus & secutum delictum, *Zang. n. 140.* Comminatio, si persona sit suspecta & effectus secutus, *art. 32. Zang. n. 44. Carpzov. n. 50.* Abductio criminosi, si aliæ præsumptiones concurrant, *Zang. num. 134.*

Speciale indicium homicidii est, si qvis videatur cum vesti- 3
bus aut armis sangvine madefactis *art. 33.* 2. Si ex occisi rebus qvid habeat, *d. art. 33.* 3. Confessio vulnerati, si juramento aut morte confirmata, *art. 25.* 4. Confessio rei, sed allegantis defensionem. 5. Rixæ si autor & in rixa principalis & cum instrumento visus *Gilhaus. cap. 607. num. 80.* Animus occidendi præsumitur ex instrumento *l. 1. §. divus de Sicariis 2.* ex loco in qvo percussus aliqvis *c. significasti. 18. X. de Homicid. Masc. concl. 865.* de qvibus *Carpz. q. 122. & Zang. d. c. 2. n. 152. & seqq.*

Veneni propinati indicium est emptio veneni, ubi nulla pot- 4
est allegari & probari sufficiens causa *art. 37.* conferantur ea, qvæ de veneno propinato supra dicta *Gilhaus. cap. 6. p. 7. num. 86. & seq.*

præ-

præsertim si veneni præparationem aut emptionem primo negaverit, *Gilhaus. num. 87.*

5 Infanticidii indicium est, uterus gestus, & depositus *art. 35. conf. art. 5.* item si sola peperit, & dicat se mortuum peperisse & tempus partus sit vitalis *art. 131.* vid. *Carpz. d. q. 122. n. 19. & seqq. Gilhaus. c. 6. p. 7.* n. *82.* eruptio sangvinis non est qvidem infallibile signum, sed experientia docuit, ut supra dictum, reas sæpe ob id ad confessionem adductas sine tortura fuisse. Conf. Finckelth. *obs. 68.*

6 Furti aut Rapinæ indicium est, si res ablata reperiatur sine alio titulo, vel causa *art. 43.* modo persona talis, in qvam suspicio cadit, & res illa ab ea possessa *Carpzov. n. 39. Masc. concl. 834. Gilhaus. d. l. num. 90. & seq.* Si pecunias eroget ejusdem formæ, qvæ fuit ablatæ pecuniæ, *art. 30. Mascard. conclus. 831. num. 5. & Carpzov. num. 49.* Præsertim si antea pauper, jam dives sine probabili causa, *artic. 43.* Alia ex clavibus adulterinis, & instrumentis effractoriis, *artic. 43. Constit. Carol. Gilhaus. n. 65.* vel si visus qvis fuerit portare sub pallio, *Carpz. d. l. n. 56.* Ex Scalâ admota, qvæ fuit inqvisiti, rebusqve inqvisiti, ibidem inventis *Mascard. conclus. 731. n. 10.* vel si Cista, aut Valisia alicui tradita obsignata, reddatur resignata, *Masc. d. l. in fin.* Si visus fuerit noctu exire sine probabili causa *Mascard. conclus. 832.* præsertim cum fasciculo sub vestibus, confer. *Thabor. racem. 3. n. 12.* Et ex luxu & popinarum freqventatione & otio præsumuntur latrocinia *art. 39. Const. Carol.* Et ex receptione latronum latrociniorum societas *art. 40. Gilhausen n. 98.*

7 Magiæ indicium 1. si qvis alios doceat incantationem *art. 42. Const. Car.* 2. Speciale hic est comminatio, si eam seqvatur eventus, præsertim verò insolitus & prodigiosus. 3. Si reperiantur apud personam libri magici, instrumenta magica, venena & alia superstitiosa, *d. art. Gilhaus. d. l. n. 103. & seqq.* 4. Notæ in corpore insensibiles, *Berlich. p. 4. concl. 4. n. 154.* cujus magnus hodie abusus, & conferantur Dd. à *Berlich. n. 161. citati.* De maculis insensibilibus *Oldekop. tit. 4. observ. 12. num. 4. & observ. 14.* & de Stigmate *Oldekop. decad. q. 12.*

8 Incendii dolosi indicium est 1. Præparatio facum ignearum, telorum ignitorum, vel aliarum materiarum ei fini destinatarum, *art.*

art. 41. Const. Crim. 2. Si cum pulvere nitrato, vel aliis instrumentis visus fuerit in proximo, ubi incendium exortum, *d. articul. 41.* 3. Si in eo loco paulo ante visus fuerit, nisi probabiliter causam horum probet *Carpz. qv. 122. n. 80. & seqq.*

Adulterii indicium est freqvens conversatio, præsertim in locis occultis, epistolæ amatoriæ &c. de qvibus *Carpzov. d. l. n. 70. Mascard. concl. 64.* Sicut & stupri indicium est sufficiens ad confrontationem, stupratæ adsertio, si persona stuprata alias fuerit bonæ famæ *Mev. p. 3. dec. 73.* 9

Proditionis indicium, si qvis præter morem alicubi visus & antea dixerit se sibi ab illo metuere, & *art. 42.* Nam insolitum & metum vanum præ se ferre vel aliis incutere, sunt interdum malorum consiliorum argumenta. 10

Præsuppono autem, torturam esse subsidiarium tantùm remedium, inqvirendæ veritatis. Nam regulariter ad tortutam deveniri non debet, nisi in subsidium ultimum, qvando sc. aliæ probationes haberi non possunt, & ita omnes Doctores concludere testatur *Clarus qvæst. 64. n. 5.* per textum expressum *in l. Divus Pius 9. princip. ff. de qvæst.* qvem textum generaliter omnes Dd. ita intelligunt, probati *à Farinac. lib. 1. qvæst. 38. n. 4.* & ita statuit etiam *Ambrosinus d. tract. lib. 4. cap. 1. num. 8.* 11

Accedit ratio, qvia qvæstioni non semper fides, nec tamen nunqvam habenda. Etenim res est fragilis & periculosa, & qvæ veritatem fallat. Nam pleriqve patientia sive duritia tormentorum ita tormenta contemnunt, ut exprimi eis veritas nullo modo possit; alii tanta sunt impatientia, ut qvodvis mentiri, qvam pati tormenta velint, ita fit ut etiam vario modo fateantur, ut non tantum se, sed etiam alios comminentur, sunt verba JCti *in l. 1. §. qvæstioni 23. ff. de qvæst.* 12

Sanè qvæstio est res dira corporibusqve hominum admodum noxia, & qvandoqve lethalis, nihilqve tam crudele & inhumanum, qvam hominem ad imaginem Dei conditum tormentis lacerare, & qvasi excarnificare, *Zang. d. tract. cap. 1. num. 1. & Dn. Carpzov. qvæst. 117. num. 3.* Exempla passim extant multorum, qvi, qvæ nunqvam commiserunt, fassi sunt & immerito sunt affecti supplicio. 13

4 Hæc eò dicuntur, ut judex non ſtatim feſtinet transmittere acta ad Collegium, & qværere an torqvendus ſit reus. Sed judex eò omnibus viribus niti debet, ut res delicti aliter argumentis convinci poſſit vel ad confeſſionem adigi, Hic nullis ſumptibus, nullis laboribus parcat. Et exiſtimo ſane multis exprimi confesſionem ſine tortura poſſe, ſi debito modo examinarentur, & omnia indicia ipſis repræſentarentur, & illi qvaſi in rem præſentem ducerentur, atqve ita argumentis convincerentur. Si aliter fiat, ſæpius etiam facinoroſi, meritis ſubducuntur pœnis, ſi forte indicia non ſint ad torturam ſufficientia, vel inqviſitus per tormenta patienter tolerata indicia, qvibus gravatus erat, purgabit, qvi tamen ſine tormentis convinci potuiſſet.

51 Qvando igitur inqviſitus aliqvot indiciis generalibus vel ſpecialibus gravatus & ea plenè probata, tum judex diſpiciet, an ea tam gravia ſint, ut vix aliqvid qvam Confeſſio inqviſiti deſiderari poſſit. Si autem aliqvis torturæ ſubjectus ſit deficientibus indiciis ſufficientibus, non debet credi torturæ & confesſioni per eam extortæ utcunqve reus in ea confesſione perſeveraverit, *art. 20. Carpzov. q. 123. n. 8. & n. 12.*

16 Qvamvis autem dubitent Dd. an unicum indicium ad torturam ſufficere poſſit, verum tamen eſt poſſe unum ſufficere per *art. 27. Conſtit. Crim. Carpz. q. 123. n. 39. & ſeqq.* qvalia *Carpzov. q. 121.* recenſuit. ſcil. 1. repertam rem inqviſiti in loco delicti. 2. probationem ipſius delicti ſemiplenam, 3. nominationem ſocii criminis. 4. Confeſſionem rei extrajudicialem. 5. minas, *articul. 32.* 6. transactionem. 7. auxilium facinoroſis præſtitum. Sed non puto ſemper unum horum ſufficere. Certe Transactionem ſufficere ſolam ad torturam non facile qvis dixerit, nec confeſſionem extrajudicialem, de qva *Ant. Matth. tit. 16. c. 3 n. 10.* Et repertio rei innocentis caſu aliqvo in loco rei criminis contingere poſſet, nec ex minarum eventu infallibiliter id poteſt colligi, & in nominatione ſocii plura concurrunt indicia. Licet autem unius teſtis dictum probet ipſum factum criminoſum, indicium tamen qvodlibet plenè & per duos teſtes probandum eſt, *art. 23. Ord. Crimin. Carpz. d. q. 23. n. 46. & ſeqq.*

17 Sed annon ſi plura indicia concurrant, ſingula per unum teſtem

ftem probata, sufficiunt ad torturam? Id recte negatur, qvia id contra *art. 30.* Aber so einer etliche Umbstände / Wahrzeichen / Anzeigungen / Argwohne oder Verdacht beweisen wil / das sol er zum allerwenigsten mit zweyen guten tüglichen unverwerfflichen Zeugen thun / & ita recte *Zang. c. 3. n. 35.* & qvos citat *Carpzov. d. q. 123. n. 56.* Licet ipse dissentiat tamen hæsitans ut ex reqvisito tertio apparet qvod habet *n. 58.* Indicia autem illa à reo vel ipso judice elidi possunt, qvando reus pro se habet argumenta aliqva innocentiæ. Wenn die Person gute Vermuthungen / die sie von der Missethat entschuldigen mögen / für sich habe / *articul. 28. Const. Crimin. 2.* vel qvando indicia refutare argumentis potest & diluere *Carpzov. d. q. 123. num 64. & seq.*

Ex præcedentibus autem apparet, torturæ neminem subjiciendum esse, nisi de corpore delicti constet, *per l. 1. §. item illud 24. ff. ad SCtum Syllan. Farinac. q. 38. num. 2.* Ideoqve judex consulturus peritiores, prius de corpore delicti legitimè inqviret, ut *supra* dictum. 18

Repetendum etiam illud, auditis demum defensionibus Rei ipsum torturæ subjiciendum esse, ut diximus *membro tertio. Farinac. d. qvæst. 38. num. 3. Ambros. lib. 4. c. 1. num. 1.* imo si decreto facto super tortura, & tormentis applicatus inqvisitus diceret se velle suam innocentiam probare, eum audiendum putarem, si aliqvid relevans allegaret, cum *Ambrosin. d. lib. 4. cap. 1. n. 29.* 19

Ideoq; qvando tortura dictata, tunc debebat sententia prælegi Inqvisito diebus aliqvot ante executionem, an forte interim appellare, vel aliqvid ad sui defensionem allegare possit.

Obiter & illud monendus est judex, non nisi in iis delictis locum habere torturam posse, qvorum pœna est ultimum supplicium, vel pœna corporis afflictiva, *Farinac. d. q. 38. num. 6. & prolixè q. 42. Carpzov. qvæst. 119.* Hoc qvidem principaliter ad curam Collegiorum pertinet, sed ideo hoc nosse debebit judex, ut qvalitatem criminis bene in actis deducat, qvo Jurisperiti scire possint, qvænam pœna delicto isti competat, atqve adeo an tortura locum habeat. v. g. in stupro fideliter & conditio stupratoris, & stupratæ ponatur, an soluti sint, an vero conjugati; an fœmina alias honestæ fuerit famæ; cujus ætatis &c. & sic in aliis. 20

21 Qvando igitur pœna criminis, si hoc confessum esset, non est capitalis, vel fustigatio, sed tantum carceris, relegationis, aut pecuniaria, tunc tortura non habet locum, imo nec territio realis, apprehensio, adductio & applicatio ad scalam, & multo minus ligatura, cum hæc res aliqvam irretractabilem aspergínem inferat & fere ipsa pœnâ hæc territio realis gravior, ut recte contra *Carpz. p. 3. q. 119. n. 52. & q. 137. n. 54* tradit *Oldekop. decade 3. q. 1.* Conf. *Farin. q. 42. n. 6. & seqq. & n. 23. & seqq.*

22 Non omnes etiam personæ torqveri possunt, ideo personarum qvalitas benè exprimenda in actis, ut scire possint Jurisperiti, an huic personæ conveniant qvæstiones. Nam qvidam prohibentur propter dignitatem: ut Milites, Decuriones, Nobiles, Doctores, & similes per *l. milit. 8. & l. decuriones, 16. C. de qvæst. l. 8. & 10. C. de dign.* de quibus agunt *Farinac. qv. 41. Carpzov. q. 118. num. 65. & seq.* ubi qvod de milite *in d. l. 8. C. de qvæst.* dicitur, ad officiales restringit, & milites gregarios torqveri posse tradit cum *Zang. c. 2. de qvæst. num. 58.* Sed cum *l. 8. C. de qvæst.* loqvatur de omnibus militibus, & ratio periculorum, laborum sit eadem, & cum milites gregarii etiam Remp: defendant, & plerumqve qvi inter eos mali, culpa superiorum tales sint, non potest hoc de omnibus negari, si modo alias bonum ante actæ vitæ testimonium habeant, *l. 5. §. 6. ff. de milit.* Ideoqve judex dignitatem personæ inqvisiti, an miles sit &c. diligenter in actis explicabit.

23 De Clericis idem qvod scilicet indistincte sint immunes, videtur sentiendum, nam in *l. 8. C. Episc. & Cler* qvidem presbyteri excipiuntur, sed tamen eadem ratio esse videtur, & cum Clerici sint à jurisdict. seculari exempti, qvamdiu non sunt seculari potestati traditi, frustra de tortura qværitur, conf. *Farin. q. 41. num. 5. & seq. & d. l. 8.* loqvitur de certa specie torturæ in teste vacillante & de crimine falsi excepto per *l. 21. C. de fals.* Sed qvãdo traditi, procul dubio penè convictos eos esse, necesse est. Et licet hodie subjecti sint Statibus Imperii, ea tamen Episcopalis jurisdictio est.

24 Studiosos etiam exemtos puto, ob paritatem rationis & alia privilegia.

25 Sed hæc omnia privil. cessant in criminibus atrocioribus, ut Majest. *L. Nullus C. de Crim. Maj.* Homicidii. *Carpz. d. q. 118. n. 89.* (qvod

(qvod ad expressum ab ipso casum astringendum non puto) Sodomiæ, Adulterii, Incestus, Raptus,& crimine falsi *L. Si qvis decurio 21. C. de fals.* Proditionis, Transfugii. *L. Proditores. ff. de Re Militar.* Imo cessant hæc privilegia omnia, cum qvis alias ita se gessit ut vita professioni contradixerit, nam tunc dignitas vitiis obfuscata, *Carpz. d. q. 118. n. 92. Zang. c. 1. n. 86. Tiraq. d. Nobil. q. 22.*

Ideoqve qvando inqvisitus est talis persona, qvæ à tormentis immunis, præsertim si etiam crimen non sit atrocius, deberet judex testes examinare super vita ante acta, an bonus miles & vir bonus habitus sit, & sciatur, an privilegio illo merito fruatur. Et qvando persona nobilis ob criminis atrocitatem torqvenda est, debet ex recepta consvetudine hoc fieri cum consensu Principis, qvod idem de Clericis dixerim. 26

Secunda causa, qvæ liberat à qvæstione, vel absolutè, vel ad tempus tantum suspendit, est corporis debilitas, *arg. leg. 7. ff. de qvæst. Matth. Steph. d. art. 59. Ordin. Crimin. Carpzov. qvæst. 118. num. 46. & seqq.* Qvò pertinent Senes, ætate decrepiti, *arg. legis. 3. §. ignoscitur 7. ff. ad Sillan. Senatusconf. Farinac. de qvæst. 41. num. 24.* 27

Vulneratus etiam licet torqveri possit, ita tamen torqvendus est, ne damnum corpori inferatur, per *art. 59. ibi:* So der Beklagte gefährliche Wunden oder andere Schäden an seinem Leibe hätte/so soll die peinliche Frage dermassen gegen ihm vorgenommen werden/damit er an solchen Wunden oder Schäden am wenigsten verletzet werde. 28

Et ex eadem causâ imbecillitatis corporis, non est torqvenda fœmina prægnans, per *l. 3. ff. de pœnis.* tum ne fœtui, tum ne ipsius prægnantis vitæ noceatur, *Carpz. d. q. 118. num. 53.* Ex qvocunqve coitu, licet legibus damnatus sit, fœmina conceperit. Cùm calamitas matris fœtui nocere non debeat, ita tradunt *Farinac. qv. 41. num. 82. Carpz. d. qvæst. 118. num. 54.* nec interest, vicinane sit partui an non, qvia nec primis mensibus propter spem futuræ animæ mulier tormentis subjicienda est, *Farinac. d. qvæst. 41. n. 83.* modo aliter de utero constet, qvam ex allegatione mulierculæ, *Carpzov. d. l. num. 63.* 29

Eadem ratio debilitatis corporis etiam prohibet, qvo minus puerpera intra 40. dies (in ihren 6. Wochen) torqveri possit, *Clarus* 30

§. f. qvæst. 64. num. 23. Farinac. d. qvæst. 41. num. 79. Carpzov. d. qvæst. 118. num. 57.

31 Favor infantis facit etiam, ut & iis matribus, qvæ partum lactant, tortura alicubi remittatur, *Farinac. d. l. num. 80. & Carpzov. num. 60.* Ubi notat in Scabinatu Lipsiensi, non obstante favore pueri lactandi, matri torturam indictam fuisse, ita tamen ne infanti qvoad nutrimentum noceatur, damit dem Kinde an seiner Nahrung kein Abbruch geschehe. Et ita scio etiam in Facultate Juridica hujus Academiæ pronunciatum fuisse ab Antecessoribus. Et hæc causa habet locum in omnibus, qvi debilitate vel morbo chroncio laborant, ubi tortura vel territio saltem periculosa esse posset, *Farinac. d. qvæst. 41. num. 93.* qvare judex hac in re omnia rimari debet.

32 Ob has igitur causas judex religiosus & diligens, qvotiens persona inqvisita est fæmina, toties in conditionem ejus inqvirerere debebit, an gravida, an infantem lactandum habeat &c. Imo si fœminæ tortura Consilio peritiorum decreta, & postea appareat, ipsam esse gravidam, torturam tamen in tempus commodum differre judicem oportebit.

33 Tertia causa eximens aliqvem à qvæstionibus est Defectus Judicii, qvi deprehenditur in impuberibus, ideoqve hi torqveri non possunt *per l. de minore 10. princ. ff. de qvæst. & l. 1. §. impuberi 33. ff. ad SCtm. Silan.* Idem de Melancholicis intelligendum, per tradita *Carpz. d. q. 118. num. 18.* & de surdis ac mutis naturâ *arg. l. discretis 10. C. qvi testam. facere.* non solum qvia plerumq; fatui, sed etiam qvia regulariter nulla ab iis exprimi confessio certa potest, frustra expectatur, qvod sperari non potest, & utcunqve per signa exprimi veritas possit, non tamen circumstantiarum potest esse certitudo, *Zanger. de qvæst. cap. 1. n. 44. Carpzov. d. qvæst. 118. num. 21. Farinac. d. qvæst. 41. num. 86. Finckelthaus. obs. 45. per totam.*

34 Qvod si igitur persona talis sit, qvæ torturæ subjici possit, indicia etiam talia, qvæ ad qvæstionem sufficiunt, adsint *per art. 20. & seqq. Constit. Criminalis*, nec ea indicia sint per Inqvisitum diluta ac refutata, v. g. per contrarias præsumtiones, *art. 28.* vel defensiones aut exceptiones, *art. 29. & artic. 37. dictæ Constitutionis Crimin.*

min. Sed indicia adhuc gravent Inqvisitum, tunc reqviritur sententia interlocutoria, qvâ Inqvisitus qvæstioni subjiciendus esse dicitur, *Farin. q. 38. num. 7.*

Et qvamvis aliàs in sententiis exprimi non soleant rationes Decisionis, communiter tamen placuit, in hac sententia interlocutoria causas Torturæ, seu omnia indicia, & omnes præsumtiones, qvibus movetur Judex ad infligendam reo torturam, exprimendas esse, *Farinac. d. qvæst. 39. num. 8.* Et qvamvis in sententiis his à Collegiis Juridicis ratio exprimi rarò soleat, puto tamen meliùs eas exprimi; ut appareat, ex qvibus caussis Collegium ad torturam infligendam fuerit permotum. Receptum enim alias est, qvoties à regula communi recedimus, reddendas esse rationes, & qvoniam tortura remedium est plane extraordinarium, & juri non satis conveniens, primo in hoc tam exorbitante decreto addantur rationes, & nisi hoc fiat, adimuntur & defensiones, nam si vellet appellare, nesciret causam decreti, non posset impugnare decretum & aliàs in civilibus appellaturo rationes sententiæ edendæ. 35

Anteqvam verò torturæ executio instituatur, judex adhuc interrogationibus & monitionibus, ad dicendam veritatem, de omnibus sigillatim in Processu apparentibus, & de qvibus sunt indicia, Inqvisitum impellat, *Foller. in Pract. Crim. parte secunda partis secundæ tit. Rei indurati torqventur. n. 1. Flammin. Chartar. lib. 4. cap. 1. dicti Tractatus num. 58.* Sed non amplius circuitu aliqvo, nec ita longius repetita percontatione, priora seqventibus applicando, prout in Examine primo dictum est, sed statim de eô, qvod in Judicium venit, & de qvo est inqvisitus, debet interrogari. Et ubi Reus adhuc persititerit in sua pertinaciâ, sunt eidem repetenda omnia indicia, de qvibus anteà disperse & diffuse dictum fuerat. Eligantur autem hoc loco, qvæ erant gravissima & unumqvodqve qvam brevissime similiter transeatur, ut Reus ad veritatem dicendam ante Torturam, qvæ subsidiaria esse debet, impellatur, ut Practicam hanc præscribit *Flamm. Chartar. d. cap. 1. num. 58.* 36

Postea hortabitur Judex inqvisitum semel atqve iterum, ad dicendam veritatem, ipsi qvasi ante oculos collocando, qvod stantibus tot tamqve urgentibus indiciis, negandi locus ipsi relictus non sit, & qvod, si adhuc in obstinatione perseveraverit, ad Qvæ- 37

stionem

stionem contra ipsum sit processurus, qvæ qvidem comminat Decreto Torturæ præmitti solet, *Flamm. Chartar. d. l. n. 60. Ambr sin. lib. 4. c. 1. num. 22. & seq.* Hacqve de re extat *Constitutio Crimin lis Caroli V. artic. 46.* Wenn man den Gefangenen peinlich frag wil von Ampts wegen/oder auff Ansuchung des Klägers/ sol zuv demselben in Gegenwertigkeit des Richters/zwey er des Gerichts u des Gerichts Schreibers fleissiglich Zurede geschehen mit Worte die nach Gelegenheit der Personen und Sachen / zu weiterer Erfa rung der Ubelthat oder Argwöhnigkeit allerbest dienen mögen/er au mit Bedräuung der Marter besprachet werden/ob er der beschuldigt Missethat bekäntlich sey oder nicht/und was ihm solcher Missethat h ber bewust sey? Und was er alsdann bekennet oder leugnet/soll auffg schrieben werden. Si igitur confiteatur delictum, cessabit Tortur qvæ ideo à Collegiis Jurisperitorum conditionaliter decernitu Si nolit fateri, sententia de torqvendo Reo publicatur.

38 Sed qvid si Reus à sententia hac appellet? Appellare eu posse, si se gravatum existimet, apparet ex *l. 2. ff. de appellat. reci Ant. Gometz. tom. 3. resol. cap. 13. num. 23. Clarus d. qvæst. 64. num. 2 Chartarius d. cap. 1. num. 70. & Farinac. d. q. 38. num. 10.* Sed qv ita processus inqvisitorius redditur difficilis, ideò qvidam Judice hanc observant cautelam, qvod non interponant palam Decretu de torqvendo, ne detur occasio appellandi, sed ducto Reo ad lo cum torturæ statim cum incipit ligari, solent interponere Decre tum de torqvendo, & statim torqvere, ut ex *Maranta* refert *Claru d. n. 27. & Flamm. Chartar. d. c. 1. n. 60. & Ambrosin. lib. 4. cap. 1. num. 2 & seq.* Sed parum tuta est hæc cautela; Nam non apparet ratio cur non hoc casu etiam inqvisitus à torturæ Decreto appellar possit, & eam cautelam vellicat *Farinac. d. qv. 38. n. 7.*

39 Malo cum Farinacio distingvere, utrum Appellatio eviden ter sit frivola, an non? ut illo casu Judex non teneatur, immò & non debeat deferre Appellationi, per *d. l. 2. ff. de Appellat. recip. ibi si contra leges hoc faciat:* Ex qvibus verbis *Farinac. d. l. num. 25.* re ctè infert à contrario consensu, si juxta leges hoc fiat, non debere deferri Appellationi. Tunc autem calumniosa dicenda est Ap pellatio, qvando in processu apparent legitima indicia ad Tortu ram, & hæc per defensionem non sunt à reo elisa & purgata. Hoc verò

vero casu, & qvando in dubio versatur Judex, omninò appellationi deferre debet. *Martinus Delrio lib. 5. disqvisitionum magicarum sect 9. pag. 103.* Vel consulat peritiores, periculosum enim judici à qvo sine consilio appellationem rejicere, nam si rejecta appellatione tortura executioni tradita, reus confessus revocet confessionem tanqvam per indebitam torturam elicitam, & superior adeatur per cognatos & superior ad appellationis prosecutionem admittat reum, per torturæ executionem elicita confessio nullius erit momenti *Farin. d. l. n. 17.* & judex ratione Syndicatus periclitabitur. Svadendum igitur Judici, ut si Reus à Torturæ decreto appellaret, injungat ipsi, qvo gravamen exprimat, ejusqve gravaminis causam legitimam. Reus non facilè est coarctandus ut statim causas gravaminum alleget, sed tantum temporis spatium relinqvendum, ut acta pervidere possit, præsertim si in sententia rationes decisionis non additæ, præsertim cum ipsa tortura inferat gravamen irreparabile.

Sed annon etiam procurator fisci à decreto de non torqvendo appellare possit. Resp. non facilè fieri posse, ut decretum hoc sine absolutione publicetur, qvando autem hoc fit, tunc ab absolutione potest fiscus appellare *Farin. d. q. 41. num. 20.* Sed si ponas solum hoc decretum interpositum, qvia tamen ex hac interlocutoria qvæstionis principalis decisio dependet, hac ratione ab hac interlocutoria appellari posse puto ob paritatem partium. 40

Qvando autem sententia executioni danda, Judex ipse debet adesse Torturæ, ut judicem instruunt *Menoch. l. 2. cas. 340. num. fin. vers. in dubio Farin. qv. 37. n. 145. Ambrosin. d. tract. lib. 4. cap. 14. n. 9. & Carpzov. qv. 124. num. 22.* Nam si posito reo in tortura judex abeat, fortè ad capiendum cibum, vel, qvod pejus est, ad ludendum, reumqve relinqvat vel solum, vel manibus custodum, ut plurimum crudelium & indiscretorum, tortusqve deficiens in tormentis moriatur, judex pœnâ extraordinariâ, qvod Torturæ præsens non fuerit, mulctabitur, *Farinac. d. l.* Et sanè Judex abiens, furori carnificum reum permittens, DEI iratas manus non effugiet. Damnatio enim absqve misericordia erit ei, qvi non præstiterit misericordiam, *Jacobi c. 2. 2.* 41

42 Sunt autem gradus Torturæ, ſecundum communem Doctorum ſententiam qvinqve, qvos recenſet *Farinac. qv. 37. n. 40. Primus* gradus eſt Territio realis. Nam territio duplex eſt: alia verbalis, qvando reo præſentatur carnifex cum Torturæ inſtrumentis, ita tamen ut Carnifex reum apprehendere non debeat. Wenn ihm der Scharffrichter vorgeſtellet wird/ mit den peinlichen Inſtrumenten / doch daß er ihn nicht angreiffen darff; altera realis, qvando reus ſpoliatur, ligatur, & funi applicatur. *Secundus* gradus eſt, qvando reus elevatur, & modico tempore detinetur. *Tertius*, qvando diutiùs detinetur, ſine tamen qvaſſatione. *Qvartus*, qvando adduntur qvaſſationes. *Qvintus*, qvando adduntur compedes ferrei, vel aliqvod ſimile pondus.

43 Carpzovius *qv. 117. n. 59.* dicit tres eſſe gradus in foro Saxonico: *Primus* eſt, qvando inqviſiti manus retro funibus arctiſſimè conſtringuntur, qvem gradum à territione reali manifeſtè diverſum eſſe conſtat, in qvâ non conſtringuntur manus, ſed tantum paululum ligantur. *Alter* gradus eſt, qvando Rei ſcalæ ſubjiciuntur, & violentâ qvadam expanſione omnium membrorum articuli qvaſi dilacerantur. *Tertius* eſt, qvando ſeveriora adduntur remedia, ut ignis & ſimilia. Sed hac in parte ſtylus cujusvis Judicii eſt attendendus.

44 In Facultate noſtra obſervavi tria formularum genera uſurpari: Interdum enim modicam Torturam indicere ſolemus, Daß der Gefangene mäßiger Weiſe durch den Angſtmann anzugreiffen. Vel ſimpliciter dicimus: ipſum eſſe ſubjiciendum tormentis, Daß der Gefangene vermittelſt der Peinligkeit zu befragen: Vel tertio acriorem Torturam definimus, qvi videtur eſſe gradus ſupremus, Daß der Gefangene mit ziemlicher Schärffe anzugreiffen/ ꝛc. Nec hæc habere opus puto declaratione; cum periti Carnifices & cordati, diſtinctionem & differentiam horum verborum facilè ſcire posſint.

45 Qvod ad tormenti genera attinet, admonendus Judex eſt, ne inſolitis & inconſvetis utatur modis tormentorum, *Ambroſin. lib. 4. cap. 1. num. 3. & 5.* Nam qvi contrâ faciunt, potius carnificibus, qvàm Judicibus comparandi, *Clarus d. qvæſt. 64. num. 36. Farin. qv. 38. num. 55. & ſeqq.*

Varia autem reperiuntur tormentorum genera, ut tormentum funis, tormentum ignis, tormentum vigiliæ, tormentum taxillorum, tormentum sibillarum, ferularum &c. Qvorum hoc ultimum adhiberi etiamnum posset, qvoties persona inqvisita ob ætatem nondum torqveri posset, *Ambrosin. d. lib.4. cap.13.* Sanè tormentum vigiliæ omnium tutissimum judicarem, si solum in vigilia consistat, nec alia tormenta (v.g. capra) addantur. Nam tormentis vigiliæ utuntur Itali, qvoad mulieres honestiores moniales & similes, *Martin. Delrio disqvis. magicar. sect.9. pag.104.* idq; describit *Flam. Chartar. dicto lib.4. cap.2. num.7.* 46

Ad tempus qvod attinet, non debet judex torturam exeqvi die feriato & cultui divino consecrato, nisi sint insignes latrones, qvorum pœnam accelerari Reipublicæ expedit, *l. pen. C. de feriis.* Qvamvis rectius faciat Judex, si etiam latronum tormenta in diem non feriatum differat, *Carpz. qvæst.124. num. 4.* qvod de brevioribus feriis intelligendum. Nam in feriis, qvæ diuturniores sunt, in atrocioribus delictis facinorosi etiam torqveri possunt, v.g. tempore qvadragesimæ, *d. l. pen. C. de Feriis.* 47

Hac etiam moderatione Judicem uti debere, tralatitium est, ut Judex non statim à cibo sumpto qvæstionem instituat, sed ut minimum qvinq; vel sex horis abstineat à qvæstione, ne scilicet stomachus damnum aliqvod patiatur, *Farinac. d. qv.38. n.12. Martin. Delrio d. l. pag.103.* Ideo solent noctu qvæstiones institui. Sed commodissimum tempus est matutinum, ut rectè judicat *Carpzov. d. qvæst 124. num.8.* conf. *Oldekop. tit.4. obs.24.* 48

Si verò plures sint ejusdem criminis conscii & complices, tunc videndum, qvis inter eos sit maximè suspectus, & ab hoc initium faciendum, *per l. 1. §. 2. ff. de qvæstionib.* Si æqvè suspecti, tunc ab illo initium faciendum, qvi timidior videtur, vel teneræ magis est ætatis, adeò ut spes sit, facilius ab isto, qvam ab altero extorqveri veritatem posse, *l. 18. princ. ff. de qvæst. Zanger. d. tractat. de qvæst. cap. 4. num. 26. Clar. §. final. q. 64. num. 29.* Hinc placuit, si inqvisiti duo sint disparis sexus, à fœmina inchoandum esse, *Zanger d.l. num. 27. Carpzov. qvæst. 124. num. 16.* Et si inqvisiti sint Pater & filius: filium prius qvæstioni subjiciendum esse, *Zanger. d. l. n. 28. Carpzov. d. qvæst. num. 18.* Qvæ qvamvis in ipsis sententiis à 49

Collegiis exprimi soleant, qvia tamen interdum omittuntur, ideoqve hæc nosse judicem expedit.

50 Dum autem Inqvisitus in tormentis pendet, debet judex eum interrogare de ipso delicto, & qvidem articulatè, *Carpzov. d. qv. 124. num. 31.* Articuli verò debent esse multò pauciores, qvam qvi in primo examine fuerunt propositi. Hic enim non opus est, ut per ambages procedat judex, sed ad ipsam rem statim accedat, & super ipso delicto statim qværet, an hoc fecerit. Sed debet à suggestionibus diligentissimè abstinere, tanqvam à peste. Nam si hæc in primo examine vitanda est, qvanto magis in hoc periculosissimo Examine, *Chartar. d. lib. 4. cap. 1. num. 94. Ambrosin. lib. 4. cap. 2. num. 1.* v. g. Non debet interrogare, an Titium occiderit die 4. Julii horâ illa, & qvidem gladio Sempronii. Sed, an occiderit Titium? qvo die? qva horâ? qvo instrumento? sed ita, ut tantum circumstantiæ necessariæ inqvirantur. Sic Venefica in tortura non debet interrogari, an huic vel illi nocuerit, an qvid in terra defoderit, sed an alicui nocuerit? & cui? & qvomodo? qva in parte sæpissime erratur.

51.

52 Nam licet Inqvisitus fateatur delictum, judicis officium est, ut super circumstantiis necessariis eum etiam interroget, *juxta artic. 48. Constitut. Criminal. ibi:* So der gefragte der angezogenen Missethat durch die Marter / als vorstehet / bekentlich ist / und sein Bekentnüß auffgeschrieben wird / so sollen ihn die Verhörer seiner Bekentnüß halber / gar unterschiedlich / wie zum theil hernach berühret wird / &c. fleissig fragen.

53 Et hoc exemplis aliqvot declarat Imperator. *d. artic. 48. & seqq.* v. g. Si qvis homicidium confessus est, debet interogari: Aus was Ursachen er das gethan / auff welchem Tage und Stunde / auch an welchem Ende? Ob ihm jemand / und wer ihm dazu geholffen / auch wo er dē Toden hinbegraben oder gethan / mit was Waffen der Mord geschehen sey / wie und was er dem Toden für Schläg oder Wunden gegeben / oder gehauen / oder sonst dē ümbracht habe? Was er / der Ermordete bey ihm gehabt von Gelde oder andern / und was er ihm genommen / wo er auch solche Nahm hingethan / verkaufft / vergeben / ohn worden oder verborgen habe? Und solche Fragen ziehen sich auch in vielen Stücken auff Räuber und Diebe.

Sic si qvis proditionem sit confessus, hic debet interrogari 54
juxta art.49. Wer ihn dazu bestellet/ und was er darumb empfangen/ auch wo/ wie/ und wenn solches geschehen sey/ und was ihn darzu verursachet habe?

Sic *in art.50.* Si qvis veneficium confessus sit, ulterius debet 55
interrogari: Was ihn dazu beweget/ auch womit und wie er die Vergifftung gebraucht/ oder zu gebrauchen vorgehabt/ und wo er solche Gifft bekommen/ und wer ihm darzu geholffen oder gerathen habe?

Sic si qvis Incendium confessus sit, interrogandus est: Aus 56
was Ursachen er solches gethan? Zu welcher Zeit? Wer ihm darzu geholffen? Mit was Feuerwerck er den Brand gethan? Von wem/ wie/ oder wo er solch Feuerwerck oder den Zeug darzu zu wegen bracht habe? *juxta artic.51.*

Item si qvis magicam artem sit confessus, debet interrogari 57
juxta artic.52. Wie er dazu komme? Womit/ wie/ und wenn die Zauberey geschehn/ mit was Worten oder Wercken? item si confiteatur, se aliqvid defodisse in terra, debet interrogari: Wo sie solches vergraben oder verwahret? Atqve eæ res debent investigari. Item: Von wem sie solche Zauberey gelernet? Ob sie auch solche Zauberey gegen mehr Personen gebraucht/ und gegen wem? was Schadens auch damit geschehen sey?

Si infanticidium confessa mulier, de tempore copulæ carna-
lis, de motu & qvalitate infantis, de causa, cur non detexerit, an 58
abortum procurare tentaverit, qvomodo se habuerit ante partum aliqvot diebus; qvid egerit, qvomodo peremerit infantem, qvale sit illius loci pavimentum, cæterisq; circumstantiis. Idem in furto qvæ habuerit indicia, qvibus instrumentis usus, ubi illa sint, qvo loco repererit, qvo tempore, ubi occultarit, & tandem subnectenda qvæstio, an in hac confessione subsistere velit.

In summa, concludit Imp. *in art.53.* Es sollen solche Wahrzei-
chen und Umbstände von dem jenigen/ der eine Missethat bekannt hat/ 59
gefraget werden/ die kein Unschuldiger wissen oder sagen kan.

Sed hanc inqvisitionem circumstantiarum multi negligunt,
idqve procul dubio cum multorum injuriâ & suarum animarum 60
damno. Nam nisi hæc investigatio in examine hoc rigoroso instituatur, facilè innocens pro nocente condemnari potest. Et facit

etiam hæc interrogatio ad id, ut Jurisperiti ſcire poſſint, qvam pœnam debeant dictitare. Nam certum eſt in multis delictis cauſam minuere pœnam, immò ſæpè pœnam tollere: circumſtantiæ etiam ſæpè aggravant delictum, ut in furto; Sæpè etiam minuunt pœnam.

61 Sed hæc omnia remiſsâ aliqvantulum torturâ. Nam qvando ejulatus & ſuſpiria tortus emittit, ſe velle fateri veritatem, aliqvantulum remittenda eſt tortura. Nam veroſimile non eſt, in ipſis cruciatibus conſtitutum veritatem poſſe eloqvi, aut perpetrata cum circumſtantiis in memoriam ſibi poſſe revocare: Sed iis demum, qvæ remiſsâ torturâ confitebitur, fides habenda eſt, *Carpzov. qvæſt. 124. n. 27. & ſeq.* per *artic. 58. Conſtit. Ctimin. ibi:* Und ſoll die Sage des Gefangenen nicht angenommen oder auffgeſchrieben werden/ſo er in der Marter thut: Sondern er ſoll ſeine Sage thun/ ſo er von der Marter gelaſſen.

62 Omnes autem reſponſiones & omnia verba, qvæ ille pendens protulerit, imò & lamenta diligenter perſcribenda, *Chartar. d. l. 4. cap. 1. num. 82. Ambroſin. d. lib. 4. cap. 2. n. 3.*

63 Sed qværitur: *An inqviſitus, qvi delictum aliqvod confeſſus eſt, etiam de aliis delictis mediante torturâ interrogari posſit ſine novis indiciis?* Et qvidem indubitatum eſſe opinor, ſuper delictis diverſi generis eum interrogari non debere, immò nec ſuper delictis ejusdem generis, v.g. furtum confeſſus non debet interrogari, annè etiam plura fecerit furta, idq; de jure civili certum eſſe, fatentur Doctores omnes allegati & probati *à Farinacio qvæſt. 37. num. 169.* Sed de conſvetudine Italiæ multi contrarium dicunt. Verum conſvetudo illa eſt contraria juri, qvamvis autem *Dn. Carpzov. q. 119. n. 68.* videatur affirmare qvæſtionem noſtram; verè tamen loqvitur de eo caſu, qvando de altero etiam delicto adſunt præſumtiones & indicia, ut *ex num. 70.* apparet, ibi: *ac indiciis urgentibus gravatus.* Et expreſsè negat qvæſtionem hanc *qvæſt. 124. num. 52* Etſi tamen non militent indicia contra reum alterius criminis, v. g. furti, ſi tamen in genere famæ malæ ſit & diffamatus, qvod alia etiam crimina commiſerit & plura furta, tunc mediante torturâ, ſed moderatiori, qværendum eſſe exiſtimarem, an etiam alia furta commiſerit, cum *Farinac. d. q. 37. num. 167. 171. & 173.* Immò ſi faſſus eſt

est delictum remissâ tortura, non repugnaverim, interrogandum esse reum, an aliqva alia delicta perpetraverit; sed tamen sine nova tortura, si modo præsumptiones de aliis delictis adsint. Sed mediante tortura super aliis criminibus interrogandus non est, nisi adsint indicia, per se ad torturam sufficientia *Oldek. decade 2. q. 4.* Ideo autem de aliis criminibus, si indicia adsint, interrogandus reus, ne ob ea innocens alius in inqvisitionem veniat.

Sed denuò qværitur: *An etiam super sociis & complicibus, mediante torturâ reus sit interrogandus?* Et qvidem negamus hoc *per l. fin. de Accusat.* Sed si adsint indicia de complicibus, vel talia sint delicta, qvæ sine complicibus non possunt, vel non solent patrari, tunc etiam super sociis, ut confiteatur, moderatè tamen, torqvendum reum esse rectè tradunt *Farinac. lib. 1. qvæst. 11. n. 19.* ubi contra nonnullorum Judicum crudelitatem & præcipitantiam excandescit & exclamat, *Clarus qv. 64. num. 8.* & ibi rectè monet, Inqvisitum, qvando in tortura super sociis interrogatur, non decere interrogari super ipso delicto à se commisso & antea confesso, & debere interrogari præmissa protestatione, sine præjudicio criminis confessi, *Chartar. d. cap. lib. 4. num. 86. & seq.* Sed hoc non in specie per suggestionem faciendum, an habuerit hunc vel illum socium, sed an aliqvos habuerit socios. Nam à suggestione, tanqvam à peste, cavendum est Judici, juxta *Ambrosin. d. lib. 4. cap. 2. num. 8.* 64

Pessimus autem error & superstitio est nonnullorum judicum qvi veneficas interrogant de sociis, qvos in Bructero monte viderint, qvis eorum rebaptisationi interfuerit, &c. & confessiones has in Actis scribunt, & eas præstigias pro veritate habent, & exinde alias nominatas personas confrontant &c. qvasi verò non innocentes personæ per ejusmodi præstigias à veteratore Satana repræsentari possint. Ipsi tales judices pœna digni, conf. Exemplum Samuelis repræsentati Sauli *Farin. q. 185. §. 8. in fine Carpz. q. 48. n. 17. Oldekop. decade 3. q. 9.* 65

Si autem inqvisitus nollet planè fateri, sed tormenta parvi pendere videatur, in atrocissimis delictis etiam intendi tortura potest, ut ex *Chartario lib. 4. cap. 1. num. 105.* tradit *Ambrosin. d. c. 2. num. 11.* Memento tamen, inqvit *Ambrosinus d. lib. 4. cap. 1. num. 6.* te Christianum esse Judicē, & propterea moderatum & misericor- 66

dem

dem esse simul te debere in tormentis inferendis, *Gometz. tom. 3. resol. cap. 13 num. 5.* ipsosq; tortos, vel innocentiæ, vel supplicio incolumes servandos esse, *l. qvæstionis modum 7. ff. de qvæst.* Præsertim verò moderatione opus est, si persona sit vulnerata, *juxta artic. 59. Constit. crimin.* vel alias debilioris Constitutionis: videndum enim, an reus sit robustus, an debilis, an senex, an juvenis, an sanus, an infirmus &c. *Farin. qvæst. 38. num. 33.* Qvamvis fieri possit ut etiam, qvi robustior videatur, minimum tamen tormentorum vix ferre possit, qvale exemplum juvenis robusti habet *Clarus d. q. 64. num. 37.* qvi ex tormentis fere mortuus. Ideò etiam, si reus defecerit, de hoc omninò mentio à Notario facienda, & qvando reus de tormentis depositꝰ adspersione aqvæ vel aceti, vel aqvæ rosariæ fuerit refectus, *Ambrosin. lib. 4. cap. 14.* Ubi monet judicem, ne crudelis, & ne nimis credulus sit. Fallere enim nonnullos solere & simulare animi deliqvium. Sed hæc cordatioribus & Deum timentibus judicibus dijudicanda relinqvimus.

67 Tempus detinendi Inqvisitum consistit in arbitrio judicis discreti, pii ac religiosi: nullibi enim jure nostro definitum. Ergò pro qvalitate personarum, delictorum, indiciorum hoc supputandum. Moderatè tamen & in temporis destinatione se habere judex debet, ut Inqvisitus remaneat salvus, *d. l. 7. ff. de qvæstion.* & potius uti debet benignitate, qvam atrocitate, *Farin. d. qvæst. 38. n. 55.* Idcirco solet ad manus haberi horologium pulveris, ad effectum cognoscendi qvemlibet horæ lapsum: Et cum Reus de tormentis deponitur, spacium temporis per Notarium annotatur, qvo ille in tormentis fuit *Char. l. 4. cap. 1. n. 115. Ambros. d. lib. 4. cap. 3.* Immò Actuarius judicii, si rectè officio suo fungi velit, non tantum singula verba & lamenta Rei, nec tantum tempus torturæ, sed & ipsa instrumenta, qvibus usus est carnifex, diligenter conscribere debet, ut rectè Actuarium instruit *Dn. Carpzov. d. qvæst. 124. n. 64.* non tamen facile ultra horam continuari torturam posse puto. Nam hic modus explorandi veritatem ferè est rectæ rationi contrarius, teste *August. lib. 19. d. Civit. Dei c. 6.* qvem citat *Remus ad art. 85. Constit. Crim.*

68 Sed cum malefici ac veneficæ seu sagæ soleant contumacissime tormenta perferre vel etiam ridere, immò inter ipsa tormenta sva-

ſuaviter dormire, qvaſi in lecto, cujus exempla aliqvot in Facultate noſtra habuimus, (qvamvis enim *Oldekop. decade 3. q. ult. n. 11 & ſeq.* dormitionem illam putet eſſe deliqvium animi & retentionem reſpirationis, vix tamen hoc experientiæ conforme eſt, cum differentia inter ſomnum & animi deliqvium omnino manifeſta ſit,) ideoq; de his in ſpecie aliqvid, potiſſimum *ex Martino Delrio lib. 5. Diſqviſit. Magicar. ſect 9.* Proponemus verbis dicti Martini Delrio: multiplex, *inqvit*, eſt cauſa hujus ſilentii. Vel enim tacent, qvia dolorem non ſentiunt; vel qvia loqvi non poſſunt, etiamſi ſentiant; vel qvia nec ſentiunt, nec loqvi poſſunt, ut qvando profundo ſomno opprimuntur: (ſomnum hunc conciliat Dæmon cauſis merè naturalibus, ut medicamentis ſoporiferis, & ſimilibus:) Vel ſanè qvia licet ſentiant & loqvi poſſint, robuſti tamen & fortes omnia tolerant & obſtinato animo cruciatum &c. contemnunt. Ut non ſentiant, ſolet Dæmon efficere per qvædam naturalem vim obſtupefaciendi ſenſus habentia, qvibus fit, ut vel dolorem non ſentiant, vel lenior ac tolerabilior dolor videatur. Aliqvando pondera appenſa ipſe levat, & corpus ipſum ſublevat, funes qvoqve qvibus ligatus & extenſus eſt, laxat; Aliqvando verò ea, qvæ corpori infligi videntur, ipſe alio avertit, aut vim eorum tollit, aut medium denſum, qvod adſtantibus eſt inconſpicuum, interponit, &c. *Et poſt pauca:* Silentium etiam ſolet Diabolus inducere occupatione corporea Malefici, præcluſis illi interius faucibus & ore, eâ moderatione, ut non præfocetur, loqvi tamen non qveat, &c. Deniqve ſolet illis membranulas & alia inſtrumenta magica variis notata characteribus ſuppeditare, qvibus in locis corporis ſecretisſimis abditis, ex pacto ſenſum adimit doloris.

Ut his judices obvient, qvid non moliuntur? multa rite, mul- 69
ta perperam, inqvit *Martinus Delrio d. l.* Nos hac vice, ut propoſito noſtro ſerviamus, brevisſimis perſtringamus magica vel ſuperſtitioſa remedia, vera verò remedia pluribus explicabimus. Benedictam ſive luſtralem aqvam qvi infundunt, ſuperſtitioſe faciunt. Superſtitioſum eſt indicium lacrymarum, qvod exiſtimatur, veneficas non poſſe emittere lacrymas *Berlich. pag. 4. concluſ. 4. n. 60.* Sed qvia nullam id habet rationem, ideoqve fallax hoc ſignum, *Oldek. dec. 3. q. ult. n. 4. & tit. 4. obſ. 14.* Superſtitioſa

eſt propinatio aqvæ benedictæ, cum guttula ceræ benedictæ. Superſtitioſum illud etiam, qvod de interrogandis reis infra Miſſarum ſolennia &c. dicitur. Abſtinendum ergo judici ab omnibus remediis inqvirendæ veritatis, qvæ aliqvam ſuperſtitionis & magiæ ſpeciem præ ſe ferunt, *Oldekop. tit. 2. obſ. 16. & tit. 4. obſ. 15. & tit. 4. obſ. 9.* qvo etiam juſcula per carnificem præparata referunt, qvæ prohiberi debebant carnificibus, & ipſi ob pactum cum Diabolo torturæ ſubjiciendi, conf. *Oldek. tit. 4. obſ. 54. & P. Zachias l. 2. tit. 1. q. 3. n. 34. & ſeq.*

70 Sed qvid faciendum in tali caſu, ubi venefica videtur impaſſibilis, adeoq; nihil profectura tormenta? Reſpondeo, *primum* ipſam per verbi divini miniſtros ſedulo monendam, ut fœderi diabolico renunciet, veritatem non celet, ſed Deo det gloriam. *Secundo* ſi his nihil proficiatur, qvando venefica eſt torqvenda, tunc omnibus veſtimentis ab aliis mulierculis (vel ſi virilis ſexus, à miniſtris,) exuenda, & novis vel alienis veſtimentis induenda, & ita ad torturam ducenda, ne in veſtimentis lateat aliqvid maleficii. *Tertiò* poſſunt capilli capitis & barbæ abradi, immo & per totum corpus, etiam in partibus ſecretioribus, ſi fœminæ ſint à fœminis, ſi viri à viris. Nam illas in partibus ſecretisſimis membranulas diverſas characteribus inſignitas, interdum abſconditas habere notisſimum eſt, & oſtendit exemplum illud celebre pasſim allegatum, qvod habet *Dambud. in Praxi. crim. c. 37. num. 22.* Et hoc potentisſimum remedium ſæpe ſe expertum eſſe ſcribit *Ambroſ. d. l. 4. cap. 1. num. 6.* *Qvartò* ne qva unctio fortè adſit, etiam totum corpus prius aqvâ calida diligenter abluendum. De qvibus modis *Martinus Delrio d. ſect. 9.* *Qvintò* etiam totmentum vigiliæ ad vincendas ipſas veneficas maximæ fuiſſe efficaciæ narrat Damhuderius *d. l. num. 22. in fin.* *Sextò* perqviri debent ab hominibus ejusdem ſexus os Inqviſiti, foramina aurium, narium, partesqve omnes ſecretiores, & ſi qva plaga, vel cauterium ſive ruptorium, vel inciſio in corpore adſit, diligenter inveſtigandum, *Chartarius lib. 4. cap. 1. num. 22. Ambroſinus lib. 4. cap. 7. num. 5.* nam ſolet diabolus paciſci cum homine ſub aliqvo qvaſi ſigno, cui ſe adſtringit perfidus hoſtis, qvod ſalva conſcientia removeri poteſt. *Delrio l. 6. diſqviſ. mag. c. 2. ſect. 1. q. 3. Sanchetz de Matrimon. l. 7. d. 96. n. 5.*

n.3. & seq. Fagunderz Jesuita ad 1. præceptum. cap. 43. n. 3. plures citans. *Septimò* neqvaqvam permittendum, ut aliqvid comedendum carceratis deferatur *Chartar. d. l. Ambrosinus d. c. 7. n. 7. Carpz. qvæst. 125. num. 69.* *Octavò* ne verba magica submissa voce proferre possint, variis sermonibus ista verborum recitatio interrumpenda est, *Chartar. d. l. & Ambrosin. in fin.*

Et hæc de Maleficis in specie dicta sint. Jam ad & generalia revertemur. Si ergò delictum fuerit confessus reus, & super circumstantiis, sine suggestione tamen interrogatus, circumstantias expresserit, factâ executione Torturæ, ante omnia circumstantiarum à reo manifestatarum indagationem diligentem sibi commendatam habere debet judex. Non enim fides habenda est confessionibus, priusqvam de singulis, aut certè majoris momenti circumstantiis, per Inqvisitionem certior fuerit factus judex. Nam licet millies essent ratificatæ confessiones, semper tamen verificandæ sunt cum omnibus suis circumstantiis, & ita observant periti Adsessores & Deum timentes, inqvit *Ambrosinus lib. 4. cap. 5. num. 10.* Cuncta enim Judex rimari debet, ne innocens condemnetur, *Carpzov. d. qvæst. 124. n. 60.* ubi allegat *artic. 54. Constit. Criminalis*, qvem utpote maxime necessarium, & contra qvem sæpissimè peccatur, hic apponere lubet: So obgemeldte Fragstücke/ *inqvit Imperator*, aus Bekäntniß/ die aus oder ohne Marter geschicht/ gebracht werden/ so soll alsdenn der Richter an die Ende schicken / und nach den Umbständen/ so der Gefragte der bekandten Missethat halber erzehlet hat/ so viel zu Gewißheit der Warheit dienstlich / mit allem Fleiß fragen lassen / ob die Bekäntniß der obberührten Umbstände wahr sey oder nicht. Denn so einer angezeiget die Maß und Form der Missethat/ als vor zum Theil gemeldet ist/ und sich dieselben Umbstände also erfinden/ so ist daraus wol zu mercken/ daß der Gefragte die bekandte Missethat gethan hat/ sonderlich so er solche Umbstände sagt/ die sich in der Geschicht haben begeben/ die kein Unschuldiger wissen kan. Idem habetur *art. 60. ibi:* So auff erfundene redliche Anzeigung einer Missethat halber peinliche Frage fürgenommen / auch auff Bekäntniß des Gefragten ꝛc. fleißige mögliche Erkündigung und Nachfrage geschicht/ und in derselben benannter That halber/ solche Warheit befunden würde/ die kein Unschuldiger also sagen 71

 und

und wissen könne; Alsdenn ist derselben Bekäntniß unzweifflicher beständiger Weise zu gläuben/ und nach Gestalt der Sachen peinliche Straffe darauff zu urtheilen 2c. Similia habentur *in Ordinatione Judicii Civitatis Francofurtanæ ad Oderam, Tit.* Von peinlichen Sachen, ibi Und was alsdenn in der *Tortur* bekannt wird / soll nicht *pro certo* gehalten / sondern nur *obiter* auffgeschrieben/ und etliche Tage nach Linderung der Schmertzen dem Gefangenen hinwider vorgehalten/ und darauff befraget/ auch fleißig hin und wieder nachgeforschet werden. Und wenn alsdenn der Gefangene darauff endlichen beruhet/ sich auch sonsten das *factum* an ihm selbst also befindet/ 2c.

72 Interdum etiam judicium peritorum adhibendum est, qvando circa circumstantias non potest esse evidens scientia ex sensu, sed judicio rationis, ut si qvis dicat se veneno interemisse & certã speciem veneni atqve qvantitatem exprimat, consulendi sunt Medici, an illud venenum & in ea qvidem qvantitate sit lethiferum. Nam sola confessio non sufficeret *Oldek. qvæst. 4. obs. 4.* Præsertim verò in confessione mulierum ob veneficium tortarum, accuratè inqvirendum est, qvô mortis aut morbi genere homo vel animal mortuum fuerit, *Oldekop. tit. 4. obs. 22.* Inqvirendum est, an etiam defunctus ita mortuus, ut retulit Saga. Scio exemplum, ubi Saga fassa erat, se Nobilem aliqvem occidisse, sed filius illius nobilis referebat patrem morbo aliqvo sibi familiari & chronico decessisse. Procul dubio est, fœminas tortas multa mentitas contra se, qvamvis de omnibus id dici neqveat.

73 Sed qvid si habita circumstantiarum investigatione eæ falsæ deprehendantur? R. eam falsitatem reo esse objiciendam, & improperandam, juxta *artic. 55. Crimin. Ordin.* Erfindet sich aber in obgemeldter Erkündigung/ daß die bekandten Umbstände nicht wahr wären; solche Unwarheit soll man den Gefangenen fürhalten/ ihn mit ernstlichen Worten darumb straffen/ und mag man ihn alsdenn mit peinlicher Frage auch zum andernmahl angreiffen / damit er die obangezeigten Umbstände recht und mit der Warheit anzeige. Denn ja zu Zeiten die Schuldigen die Umbstände der Missethat unwahrlich anzeigen/ und vermeynen/ sie wollen sich damit unschuldig machen/ so die Erkündigungen nicht wahr erfunden werden. Sed tamen hoc casu, qvia circumstantiæ facti sunt in magna varietate, non ex arbi-

arbitrio judicis repetenda foret tortura, sed exponendum esset mendacium JCtorum Collegio, & eorum votum vel suffragium esset reqvirendum.

Si finita tortura debent brachia adaptari & in locum suum reponi, qvod si in tortura decesserit, vel post torturam, debet judex producere testes ad cadaver, una cum Medico, & qværet, an ex cruciatibus, ex excessu vel alio accidenti mortuus, an cervix contorta & an id à lictore, forte post mortem fieri potuerit, inqviret, cum soleant allegare cervicem à Satana esse fractam, de qvo diligens inqvisitio instituenda, conf. *Oldekop. tit.3. obs.12. tit.4. obs. 24. num.1. & tit.4.obs.48. n.10. & seqq.* Relatum mihi est, fœminas duas tortas, una eademqve die post torturam defecisse, forte ex intensis doloribus. Nam multi grandem zelum hic præ se ferunt, non qvod Deum ita timeant, sed qvod suis jumentis aut cerevisiæ metuant. 74

Si inqvisitus in tormentis confessus fuerit delictum, ejus confessio debebit postea per ipsum extra tormenta ratificari. Nam sine ratificatione confessio non valeret, nec illi confessioni mox standum est, nisi reus in illa perseveret. Qvam dicit communem sententiam *Clarus §. fin. d. qvæst.46.num.40.* ubi plures allegat *Ambrosin. lib.4. cap.5. n.1. Zang. de qvæst. cap. 5. num.36. Carpz. qvæst.126. num.17.* Non enim sufficit ratificatio tacita, scilicet qvod tortus tacitè perseveret in ea confessione, illam non revocando, sed opus est, ut illam expresse ratificet apud acta, *Clarus d. l.* ubi monet judicem, ut tortum in separato post torturam includat carcere, ne à reliqvis carceratis ad revocandum instrui possit; & ne metu pœnæ sibi mortem consciscat, interim à judice omnia instrumenta, qvæ hujusmodi pravum conatum juvare possunt, diligenter amovenda, vel ipsi persona adjungenda ex ministris judicii, *Ambrosin. d.l.4.cap.5.num.44.* Caveat, ne refectionis qvippiam à cognatis mittatur, cum soleant ad evitandam publicam suæ familiæ ignominiam condemnatum veneno interficere, ut exemplum refert ex aliis *Oldek.tit.5. obs.8.* 75

Et illam ratificationem etiam ipse jubet Imperator Carolus V. *in Constit. crimin. art. 56. ibi:* Der Gefangene soll auch zum wenigsten über den andern/ oder mehr Tage nach der Marter und sei- 76

ner Bekäntniß/ nach gut bedüncken des Richters in die Büttelstuben/ oder ander Gemach/ für den Bann-Richter/ und zweyen des Gerichts geführet/ und ihm sein Bekäntniß durch den Gerichts-Schreiber fürgelesen/ und alsdenn anderwerts darauff gefraget/ ob sein Bekäntniß wahr sey/ und was er dazu sage/ auch auffgeschrieben werde. Nam cum tortura sit res periculosissima, fragilis & fallax, *l.1.§.23.ff.de qvæst.* Utiqve ne innocenti pœna capitalis vel alia infligatur, non aliter ipsi fidem adhibendam esse ipsa ratio dictitat, nisi ea in loco judicii, cessantibus doloribus fidicularum à torto sponte ratificata & confirmata fuerit, qvalis confessio ex intervallo ratificata Spontanea dicitur, & ad condemnationem sufficit, *Farinac.qvæst. 83. n.69. Carpz. d.q.126.num.19.* ubi *seqventibus numeris* qvatuor reqvisita hujus ratificationis recenset, qvæ etiam brevibus in gratiam Judicum, uno tamen addito, apponemus.

77 *Primò* ut fiat extra locum Torturæ, sive in Carcere, sive extra carcerem. Nam si in loco torturæ fieret, memoria tormentorum animo ipsius obversaretur, & fortè etiam innocentem ad Confessionem compelleret, adhuc enim duraret metus tormentorum: idq; ex receptissima Doctorum sententia & consvetudine, de qva testantur *Clarus de qvæst.64.n.42. Farin.d.qvæst.83.n.71. & Carpzov.d. qvæst.126.n.20.*

78 *Secundum* reqvisitum est, ut illa ratificatio non fiat in continenti, nec paulò post torturam; Sed ex intervallo qvodam, & dolore tormentorum cessante. Nam si statim & nullâ interposita morâ fieret, non dici posset spontanea confessio, qvæ ad condemnationem sufficiat, *Farin.d.l.n.73. Mascard.vol.1.conclus.353.num.12.* & alii, qvos allegat *Carpz.d.l. n.23.*

79 Qvantum verò temporis spatium intercedere debet inter torturam & ratificationem confessionis? qvamvis Dd.citatis à Mascardo *d.l. n.13.* reqvirant diem ac noctem; Rectius tamen nos cum *Farinac.d. qvæst. 83. num.86. & Carpzov. d.l.num.26.* id arbitrio Judicis committimus, secundum qvalitatem personæ tortæ, & qvantitatem tormentorum: Id qvod etiam ex allegato *artic.56. Constit.Crimin.* colligitur ex verbis: Zum wenigsten über den andern oder mehr Tage/ 2c. Et placet, qvod monet allegato loco Carpzovius, ut judex ad minimum per unum diem & noctem reqvie-

qviescere sinat reum post torturam, ad summum verò ultra tertium diem ratificationem non differat, ne occasionem præbeat revocationis confessionis.

Tertium reqvisitum istius ratificationis est, ut fiat coram Judice, duobus Scabinis, & Notario, adeò ut si coram testibus facta esset, non sufficeret, qvia esset extrajudicialis. Ergo ut ex eâ condemnatio seqvi posset, in forma Judicii coram Judice, Scabinis & Notario fieri debet. Idqve ipsum verba *dicti articuli 56.* expresse præ se ferunt, *ibi:* Für den Bann-Richter und zweyen des Gerichtes/ꝛc. 80

Qvartum reqvisitum est, ut Notarius torto suam confessionem de verbo ad verbum clarâ & altâ voce prælegat, ac oportunè interroget, nunqvid contenta in depositione sibi lecta fassus fuerit, an aliqvid velit addere. Qvod si reus repetat, dicatq; se illa confirmare, nihilq; se prædictis posse addere, vel detrahere, semel atqve iterum commonefaciendus est, ut benè advertat, cum de ipsius vita agatur ac capite, ne judicem fallat, aut Deum ludificetur, sed ut dicat tantummodo veritatem, & omnia mendacia caveat. Ita judicem rectè instruit *Ambrosinus d.c.5. n.6. & seqq.* idqve ex verbis *dicti articuli 56.* colligitur, ibi: Sein Bekäntniß durch den Gerichtschreiber fürgelesen/ und alsdenn anderwerts darauff gefraget/ ob sein Bekäntniß wahr sey/ ꝛc. 81

Qvintum reqvisitum, ut singula verba formalia, & si fieri possit, etiam gestus Inqvisiti per Notarium diligenter consignentur, *Carpzov.d.l.num.33. per verba finalia d. art.56.* Et rectissimè monet *Carpz.d.l.* neqvaqvam judicii Notario permittendum, ut verba à reo prolata mutare possit, sed ipsum debere verbotenus responsionem & ratificationem Rei conscribere, singulaqve verba consignare, ne forsitan sensus ratificationis haud absqve Rei periculo unà cum verbis invertatur, qvod etiam *supra* monuimus *in Examine Rei.* Et sanè nunqvam hoc satis inculcari potest: namqve hac in re ut facilis; ita freqvens lapsus est. 82

Demùm qværitur: *An etiam post territionem necessaria sit ista ratificatio?* Qvod sanè cum *Carpzovio d. l. num. 35. & Farinac. d. qvæst. 83. num. 70.* affirmare non dubitamus. Nam negari non potest, hanc confessionem non spontaneam, sed metu tormentorum 83

rum ob adspectum instrumentorum Tortoris fuisse expressam. Ergò ad condemnationem sine ratificatione nō sufficeret. Licet enim confessio minis vel verbali territione elicita spontanea sit, ut Dd. volunt citati à *Farin. q. 37. n. 98.* nihilominus tamen non est ex omni parte spontanea, & minæ profectæ hoc casu ab eo, qvi exeqvi potest conf. *Farin. d. l. n. 97. & n. 104.*

84 Sed interdum usu venire solet, ut inqvisitus suam confessionem in tortura factam ratificare & repetere nolit, sed eam potius expresse revocet, dicens se tomentorum exqvisitissimis doloribus eò compulsum ut fateretur, & forte plus se fassurum fuisse, si de pluribus fuisset interrogatus. Qvid tunc agendum? Communiter Dd. statunt, eô casu regulariter sine aliis novis indiciis ad torturam denuo revocari posse, nam hoc ipsum esse novum indicium, qvod in Tortura crimen confessus est: immò ipsa variatio per se indicium est, *l. 10. 5. de qvæst.* Atqve hæc est sententia Dd. communis, de qva testaur *Clarus d. qvæst. 21. num. 36. Ant. Gometz tomo 3. resolut. cap. 13. num 26. circa finem. Carpzov. d. qvæst. 125. num. 46.* idqve Imperator Carolus V. *in Constit. Crimin. art. 57.* confirmavit his verbis: So der Gefangene / die vorbekante Missethat leugnet und doch der Argwohn / als vorstehet / vor Augen wäre / soll man ihn wieder ins Gefängniß führen / und weiter mit peinlicher Frage gegen ihn handeln.

85 Sed exceptio additur in verbis seqventibus *dicti artic. 57.* Es wäre denn / daß der Gefangene solche Ursachen seines Leugnens vorwändte / dadurch der Richter beweget würde zu gläuben / daß der Gefangene solche Bekäntnüß aus Irrsal gethan: Alsdenn mag der Richter denselben Gefangenen zu Ausführung und Beweisung solches Irrsahls zulassen. Ex qvibus verbis apparet, Judicem non debere statim Inqvisitum suam Confessionem revocantem raptare ad tormenta, si inqvisitus ex errore se confessum esse allegat. Sed qvid si errorem non possit probare, & tamen circumstantiæ à torto expressæ cum rei investigatione congruant, an potest inqvisitus ex illa confessione etiam condemnari? Id interdum fieri potest, sed ex consilio prudentum, ut probat ex *art. 91. Zang. c. 5. n. 82.* Sed potius videtur eligere pœnam extraordinariam, qvia plene non convictus, nec ritè confessus, nec tamen innocens præsumi potest.

Sed

Sed *qvid si errorem non alleget reus, sed se sævitiâ tantum tormentorum adactum, confessum esse dicat, qvid tunc faciendum Judici?* 86
Ego ne tunc qvidem statim torturæ subjiciendum putarem, sed percurrenda potius acta atq; videndum, qvalibus indiciis reus sit gravatus, an illa admodum urgentia, an fallibilia: videnda etiam tormentorum qvantitas, considerandum tempus torturæ, an diu in tortura steterit, & primò semper negarit: considerandum, anne etiam circumstantiæ qvædam Rei adsertioni adminiculentur, an circumstantiæ à reo in Tortura assertæ in rei veritate se ita habeant: qværendus etiam reus, anne adhuc innocentiam suam docere velit vel erorem. In dubiô, puto ad Facultatem seu Collegium Jurisperitorum rem deferendam esse. Nam & indicia plura concurrentia, licet admodum urgeant, interdum tamen fallunt. Ideoqve in dictanda repetitione torturæ providum esse debere Judicem existimo, nec hîc aliqvid statuendum sine consilio Prudentum, præmissâ tamen investigatione circumstantiarum, de qva *suprà*.

Sed *si reus in tortura secunda fateatur delictum, ac denuò postea confessionem ratificare nolit, sed secundò revocet?* hîc ad tertiam 87
torturam (præmissis tamen Considerationibus, ut jam proposui) Judicem devenire posse Dd. communiter statuunt, *Clarus d. qvæst. 21. num. 36. in fine Ant. Gometz. d. cap. 13. num. 27. Farinac. qvæst. 38. num. 99.* Ubi tertiam torturam admittit, qvando indicia sunt multùm urgentia & manifesta, *Ambrosin. d. cap. 5. num. 14.* ubi *n. seq.* rectè monet, ut jam anteà monuimus, considerandas esse præcedentium indiciorum qvalitates. Si enim gravia fuerint indicia, (& crimen etiam atrocius) tertiam putat adhiberi posse torturam.

Verùm qvæ de repetenda tortura dicta sunt, non eo perti- 88
nent, ut in repetitâ tortura Inqvisitum tamdiu detinendum & fatigandum esse putemus, donec priorem confessionem ratificet, sicut nonnullos hoc facere testatur *Clarus d. qvæst. 21. num. 36. & Ambrosin. d. cap. 5. num. 13.* qvi eos Judices Carnifices appellitat: Sed hoc ita intelligendum, qvod de novo torqveri possint; sed non ultra tempus consvetum, & à Judice modesto ac religioso determinandum. Nam secunda tortura hoc casu non gravior, sed potius levior esse debet primâ.

89 Sed *qvid si tertiâ vice tortus fateatur, & denuò neget post torturam?* Hic communis videtur ſententia, non poſſe ulterius judicem progredi, ſed debere reum abſolvere, *Farinac. d. qvæſt. 38. num. 105. Ant. Gometz. d. cap. 13. num. 28. Martin. Delrio. d. lib. 5. ſect. 8.*

90 Sed ea *qvæ ſupra* dicta ſunt, eum, qvi confeſſionem in tormentis factam revocaverit, iterum torturæ ſubjiciendum eſſe, de eo caſu intelligenda ſunt, ſi poſt torturam, qvando ratificare debet, confeſſionem revocet. Sed ſi inter ipſos dolores minus apertè ac ingenuè confeſſus ſit delictum, mox verò eam, ut tormentorum magnitudine extortam, revocet, durante adhuc qvæſtione, is aliis non concurrentibus ad torturam revocandus non eſt, ut rectè *d. artic. 57.* declarant *Matth. Steph. ibi n. 5. circa finem. & Bened. Carpz. d. qvæſt. 126. num. 61.*

91 Interdum verò licet in torturâ prima nihil faſſus fuerit inqviſitus, nihilominus tamen denuò torqveri poteſt, qvæ torturæ repetitio vocatur, ac judici diſcreto permittitur à Carol. V. Imp. *in Ordinat. Crimin. art. 58.* Sed non eſſe repetitioni locum, Dd. communiter ſtatuunt, niſi nova interveniant indicia, *Clarus §. fin. qvæſt. 64. num. 46. Farinac. qvæſt. 38. num. 88.* per *l. 18. §. 1. ff. de qvæſtion.* Ubi per evidentiora indicia non intelliguntur, qvæ prioribus firmiora, ſed qvæ à prioribus ſunt ſpecie diverſa vel ſubſtantiâ, ut poſt alios interpretatur *Carpzov. qvæſt. 125. num. 43.* Illa tamen interpretatio Carpzovii verbi evidentiorum, vix videtur probabilis. Nam inter diverſitatem & inter evidentiam indiciorum planum eſt diſcrimen. Nec priora indicia hic attendenda puto, qvia per torturam purgata. Ideoqve nova indicia reqviruntur, qvæ non tantum à prioribus ſpecie ſint diverſa, ſed etiam per ſe ad torturam inferendam ſufficientia, præſertim cum tortus pro ſe novam præſumptionem innocentiæ ex tortura conſecutus ſit, ut adeo non male locutus videatur *Zanger. de tort. c. 5. num. 14.* Licet autem *Ant. Matth. tit. 16. c. 4. n. 14.* etiam ſine novis indiciis torturam poſſe repeti dicat, non obſtante *l. 18. §. 1. de qvæſt.* qvi de Inqviſito jam oppreſſo loqvi videtur, qvi allegat etiam *Clar. q. 64. n. 38. & 46. & Farinac. q. 38. n. 79. & 106.* Illa tamen ſententia in Germania non recepta, nec illa ſententia per illum §. 1. probata, & in hac materia potius lenior ſententia apprehenditur. Niſi forte qvis

te qvis ponat casum, ubi qvis evidentissimis indiciis gravatus statim in principio torturæ fassus est, & eam postea ratificare non vult, nam tunc hoc pro tortura haberi neqvit. Ergo qvævis indicia ad torturam per se sufficientia, licet infirmiora sint per se considerata prioribus: qvia tamen priora per torturam sunt purgata, ideò posteriora seu nova indicia prioribus jam elisis sunt urgentiora & evidentiora. Sed de Repetitione plura non addo. Qvando enim nova emergunt indicia post torturam, super iis instituenda Inqvisitio, examinandus super iis Inqvisitus, audiendi testes & tunc denuo casus transmittendus est ad Collegium Jurisperitorum, qvorum judicium erit, anne nova indicia ad torturam sint sufficientia, an non. Sed hos informare mei instituti non est.

CAPITIS VIII.

MEMBRUM SEXTUM.

QVOMODO CONTRA ABSENTEM PROCEDENDUM.

SUMMARIA.

1. *An contra absentem inqvisitio specialis formanda? N. num. 1.*
2. *Qvomodo jure civili contra absentem procedatur? R. n. 2.*
3. *Qvomodo ex Ordinatione Carolina? R. n. 3.*
4. *An procurator in criminalibus & præcipuè in processu inqvisitionis, in parte Rei admittatur? N. num. 4. & 5.*
5. *Qvod limitatur. numer. 6. & seqq.*
6. *Qvomodo absentem judex in potestatem suam redigere debeat? R. n. 12.*
7. *An pater admittatur ad defensionem filii. N. n. 13.*
8. *An absenti, qvem judex carceri mancipare neqvit, salvus conductus dandus? A. n. 14.*
9. *Qvotuplex salvus conductus? R. n. 15.*

10. *An in omni citatione continctur salvus conductus? N. n. 16.*
11. *An in salvo conductu hoc tacite actum, ut liceat secure recedere? A. n. 17.*
12. *Qvinam sit conductus specialis? R. num. 18.*
13. *Cui concedi salvus conductus possit? R. num. 19. & seq.*
14. *Qvomodo tollatur salvus conductus? num. 22.*
15. *An Reus, cui datur salvus conductus, pignoribus cavere possit? A. n. 23.*
16. *An si fidejussor non stiterit reum, danda ei dilatio? num. 24.*
17. *An si fidejussor pœnam solverit, contra reum repertum adhuc procedi possit? R. n. 25.*
18. *Qvo jure ad bannum procedi possit? R. n. 26. & seq.*
19. *Qvis sit Banni processus? R. num. 30.*
20. *Qvomodo jure Saxonico procedatur ad bannum? R. n. 31. & seq.*
21. *Qvis sit effectus banni? R. num. 35.*
22. *Qvomodo jure communi ad bannum agatur? R. num. 37.*
23. *Qvomodo in Marchia? R. num. 32. & 38.*
24. *Qvomodo contra bannitum captum procedendum? R. n. 39. & seq.*

1 HActenus de præsente reo actum fuit. Sed cum sæpè reus crimine commisso latitet, vel effracto carcere aufugiat, vel aliàs judicium eludat, ideò qværitur, *qvid cum absente agendum?* Et primò qvidem certum est, qvod per inqvisitionem specialem, contra absentem non procedatur, nisi ubi pœna est relegatio vel pecuniaria: aliàs verò absentem ad pœnam relegatione graviorem condemnari non posse, per *l. absentem 5. ff. de pœnis.* Ideò jure civili necessarium est, ut rei absentes reqvirantur, *t. t. ff. & C. de reqvirendis reis.*

2 Citato itaqve reo nec comparente, ille annotatur, seu inter reos refertur, bona ejus obsignantur, postea Edictis adesse jubetur, significata simul ipsi bonorum annotatione: qvo facto, si intra annum comparet, recuperat bona annotata, qvæ nondum erant adqvisita

qvisita Fisco, *l.1. C.de reqvirend.reis.* Si intra annum non adsit, nec absentiæ justas causas alleget, bona in fiscum coguntur, & seqvitur infamia. Ideoqve si postea accedat judicem, & innocentiam suam velit defendere, non auditur, qvoad bona semel confiscata, sed qvoad pœnam criminis personæ infligendam, auditur semper, *l.2. C.de reqvirendis reis.*

Sed id, qvod de annotatione bonorum dictum, hodie in Im- 3
perio Germanico per Carol. V. paululum mutatum est. Qvamvis enim fugitivi bona etiam hodie annotatanda sint, & cavendum, ne qvid ex iis rebus ad fugitivum transferatur, & per hoc illius fuga instruatur; non tamen ea bona annotata adqviruntur Fisco, sed conservantur proximis heredibus, per *artic. 206. Ordinat. Criminalis*, cujus hæc sunt verba: So ein Ubelthäter ausweicht/ so soll der Richter zwey oder drey desselben flüchtigen Freunde erfodern/ und in Gegenwärtigkeit derselben / und zweener Schöppen des Gerichtes/der Sachen unverdacht/all seine Haab und Güter / so in seinem Gericht gelegen/durch den geschwornen Gerichts-Schreiber eigendlich beschreiben und auffzeichnen / und dem Ubelthäter nichtes darvon folgen lassen. Aber welche Güter verdächtig wären / und nicht ligen möchten/ die soll der Richter mit zweyen des Gerichts/ und obgemeldten von der Freundschafft verkauffen / und was also daraus erlöset wird/auch beschreiben/und das Kauff-Geld / samt der Verzeichniß hinter das Gericht legen / allda es Weib und Kindern/ oder andern seinen nähesten Erben zum besten/unverrückt sol erhalten werden. Wolten aber des Flüchtigen Freunde solch beschrieben Gut/ zuvor und ehe es hinder das Gericht geleget/ oder aber auch darnach/ zu ihren Händen nehmen/und ein nothdürfftigen Beystand uñ Pflicht thun/berühret Gut also in Hafftung zu behalten / und dem Flüchtigen dieweil er unvertragen / oder die Sache ausgeführet ist / nichts davon folgen lassen / das solt ihnen gestattet werden. Doch solten die gedachte Annehmer der berührten Güter des Thäters Eheweib und Kindern/ob er die hätte/ nothdürfftige Leibes-Nahrung von solchen Gütern reichen/und das alles mit Rath und Wissen des Richters und vorgemeldter Obrigkeit thun / und sollen auch die Richter und Obrigkeit zu ihrem Nutzen den Flüchtigen von ihren Gütern gar nichts nehmen. Ex qvibus apparet 1. annotationem statim

faciendam. 2. Bona annotata à fugitivo reo etiam post annum semper recuperari posse. 3. ea nunqvam Fisco adqviri, nisi in crimine Majestatis. 4. Sed ea tantùm conservanda proximis, & curandum, ne aliqvid ex bonis suppeditetur fugitivo, ne is inde fugam suam instruat.

4 Sed cum absentis Rei Procurator & defensor in judicio se sæpè offerre soleat, ideoq; ut judicem hac in parte instruamus, agendum jam est de ea qvæstione: *An in criminali processu, & in specie in processu inqvisitorio Procurator vel defensor ex parte Rei ad merita causæ tractanda admittendus sit?* Et regulariter hoc negandum est, per *l. pen. §. ad crim. 1. ff. de publ. judic.*

5 Causa prohibitionis est, 1. ne per procuratorem absens mentiatur, qvæ præsens dicere erubesceret, qvæ ratio non minus in reo, qvàm in Accusatore militat. 2. Qvia rei præsentiâ opus est ad veritatem eruendam, cum ex vultus pallore, consternatione, titubatione, ac inconstantia sermonis multa indicia admissi criminis resultent, *l. 10. §. pen. ff. de Qvæst. Donell. lib. 18. cap. 10. Carpzov. q. 105. num. 44.* 3. Ne principalis interim pœnæ se subducat, & ita judicium eludatur, cum absens damnari non possit, *d. l. absentem ff. de pœnis Carpzov. de qvæst. 105. num. 42.* 4. Procurator idoneè satisdare in criminalibus non potest, cum ad peculiarem tantùm pœnam se obligare possit, *Carpzov. d. l. num. 43.* Et hæc prohibitio multò magis in processu Inqvisitorio locum habet, qvanto magis hic sine litis sufflamine ac citius expediri causa debet, *Carpzov. d. qvæst. 105. n. 51. & seq.*

6 Sed limitatur regula: 1. nisi tale crimen sit, cujus pœna sit relegatio, *Farinac. qvæst. 99. num. 67.* vel minor relegatione, ut pecuniaria, per *l. 1. ff. an per alium causæ appellationum reddi possint.* Ubi etiam ad merita causæ & ad plenam defensionem admittitur Procurator vel Defensor, *per d. l. 1.* Et hanc legem primam indistincte ita communiter Dd. accipiunt, per tradita *Farin. q. 99. n. 76. Menoch. lib. 1. qvæst. 80. n. 5. Carpz. d. qvæst. 105. num. 77.*

7 *Secundò* limitatur vel potius declaratur dicta regula, ut Procurator possit intervenire pro absente reo, non qvidem ad merita causæ tractanda, sed ad causas absentiæ allegandas, per *d. l. pen. §. 1. ff. de publ. judic. l. 3. C. de Accus.* Hic enim cessant rationes, qvas

qvos Procuratorem Rei arcere *supra* enumeravimus, *Carpzov. d. qvæst. 105. n. 66. & seqq.*

Sed *an sine mandato hic admittetur?* Resp. Si causæ necessariæ ac facti, qvæ etiam volentem impediunt, ut qvia in carceribus alibi detentus, ægrotus &c. admittitur qvoqve sine mandato; *Farin. d. qvæst. 99. num 280.* præstito tamen juramento malitiæ, *Farinac. d. l. num. 294.* Si verò causæ probabiles, ut suspecti itineris, loci non tuti, pestiferi, qvia his reus renunciare potest, ideò reqviritur mandatum, nisi essent notoriæ, *Farinac. d. l. num. 280. & ex eo Hilliger. in Donell. l. 18. cap. 10. lit. E. pag. 342.* 8

Tertiò limitatur, ut qvoties qvis absens condemnari potest, sive jure communi, ut in casu *l. 4. §. ult. ff. de Sicar.* & in crimine Majestatis, item si apparitor corruptus perfidiæ accusetur *l. 21. C. de pœnis.* sive ex consvetudine, sicut in tota Italia contra absentes ad Bannum agitur, ut iis casibus Absentis admittatur Procurator, per *l. servum 33. §. publicè 2. vers. ubicunq; ff. de Procurat. Hillig. d. l. p. 343.* Ubi tamen non auditur ut Procurator, sed tantum ut Defensor seu Instructor ac informator veritatis, cujus officium est, ut judici adsistat, super innocentiâ Rei eum instruat, ejus causas alleget, probationes offerat &c. id qvod pluribus perseqvitur *Hilliger. d. pag. & seq.* 9

Qvartò si reus præsens litem contestatus, postea autem abesse cæpit per *l. 10. ff. de public. judic. Dn. Tabor. in tr. de Confront. in coroll. c. 3. th. 6. Hill. in Don. l. 18. c. 10. lit. E.* Conf. *Zæsius ad tit. de Procurat. lit. E.* 10

Qvintò Procurator etiam admittitur, si agatur non de meritis causæ, sed de Exceptionibus declinatoriis ac dilatoriis, v. g. Si dicat Procurator, judicem non esse competentem, *Gail. lib. 1. de P. P. cap. 10. num. 46. Carpz. d. qvæst. 105. num. 69.* Aliud si exceptio dilatoria concernat ipsum crimen, ut si dicat defensor reum fuisse jam antea absolutum ab hoc crimine, nam hoc tertius allegare neqvit, nisi esset notorium *Clar. §. fin. q. 32. num. 19. Menoch. l. 1. A. Q. qvæst. 80. num. 112.* de qvibus & similibus casibus exceptis plura videantur apud *Farinac. d. qvæst. 99. Carpzov. qvæst. 105. Menoch. d qvæst. 80. Hillig. d. l.* & alios citatos. 11

Sed

12 Sed *qvid si reus fugitivus citatus nolit comparere?* Resp. tunc judici incumbere, ut reum porro perseqvatur literis patentibus incarcerationis, mit offnen Steck-Briefen / & has cum ministris circumcirca ableget, & omnibus modis laboret, qvo delinqvens capiatur, & per modum Inqvisitionis postea contra ipsum procedatur, *Carpz. in Pract. Crimin. q. 112. num. 34.* Et qvamvis hoc ante citationem fieri debeat, nihil tamen vetat id etiam post citationem facere.

13 Qværitur tamen: an autem pater admittatur ad defensionem filii capitali ex crimine accusati absentis. Et id qvidem affirmat *Cothman. vol. 3. conf. 15. per l. 33. §. 2. de procur. 2. per l. 3. c. de Accus. 3.* per arctissimam eorum unionem, & per proprium patris interesse per *l. 6. ff. de Appellat.* qvæ sententia etiam communis est per tradita *Carpz. q. 105. num. 81.* Sed qvia tamen ea sententia juris authoritate destituitur, ut late probat *Tabor d. Coroll. c. 4. & 5.* & rationibus contrariis respondet, deinde pugnat cum publica utilitate, dum judicia criminalia redduntur elusoria, ideo vix hoc in praxi receptum aut recipiendum putarem. Et Scabinos parentem non admittere testatur *Carpz. d. q. num. 82.* Multo minus igitur mater aut alii cognati admittuntur, *Tabor d. l. c. 6.*

14 Qvod si verò nulla opera capi & incarcerari possit, tum demum petenti fugitivo salvus conductus concedi potest. Sed qværitur I. *Qvinam salvum conductum concedere possit?* Et qvamvis id solum Principem facere posse putet *Fachin. lib. 9. qvæst. 62.* rectius tamen sentiunt, qvi à qvolibet Magistratu merum imperium habente, salvum conductum concedi posse putant. Nam cum contra absentem pronunciari jure communi non possit, ne criminalia judicia planè sint elusoria, necesse est salvum conductum concedi à judice posse, qvod consvetudine observari testatur *Carpzov. qvæst. 112. num. 23.* & facit *art. 76. Constit. Crim.* Indistinctè salvum conductum concedere est solius principis, sed absenti dare contra violentiam de facto, est judicis. Seu aliud est salvus conductus qvi ratione jurisdictionis datur, aliud Salvaqvardia, qvæ ad Regalia pertinet. *Mevius. p. 3. dec. 169.* Idem apud nos observatur, qvamvis plerumqve soleant super hoc articulo judices consulere peritiores.

Qvo-

Qvotuplex verò est salvus conductus? Communiter dicitur esse duplex: Generalis & Specialis. *Generalis* est, qvando judex absqve præstitâ cautione, reo citato tribuit securitatem ad judicium veniendi & inde recedendi, *Carpz. qvæst. 112. num. 4.* Sed hic generalis salvus conductus non nisi diebus juridicis securitatem reo promittit, daß er zu einem iedem Gerichts-Tage sicher zu und abreisen möge/ *Zanger. part. 2. de Except. cap. 5. num 53. Carpz. d. l. n. 10.* ita tamen, ut generalis salvus conductus securitatem per triduum ferè præstet, scilicet qvo reus primum ad comparendum, alterum ad tractandum in judicio, tertium habeat ad redeundum, *Carpzov. d. l. num. 13.* *Specialis* salvus conductus ad totum tempus judicii datur cum causæ cognitione, *Nevizanus cons. 83. num. 12. Besold. in Thes. pract. voce Salgvardia.* 15

Sed qværitur primo: an in omni citatione subintelligatur salvus conductus? qvod affirmandum videtur, unde res transiit in proverbium: daß eine iede citation trage einen salvum conductũ. Sed puto illam sententiam fundamento destitui, & posse comparentem post audientiam detineri, *Carpz. q. 112. n. 15.* nisi intelligamus salvum conductum contra solam violentiam partis læsæ. 16

Secundo qværitur: *si non expressè dictum in formula salvi conductus, qvod securè possit ex loco judicii recedere, anné hoc tacitè etiam actum videatur, ut possit secure reverti domum?* Resp. id meritò affirmari cum *Carpz. d. qvæst. 112. num. 8.* Neqve enim, *inqvit JCtus ille celeberrimus*, ita fidei aut securitatis promissione solum qvid concedens, verum etiam qvid recipiens verisimiliter cogitarit, inspiciendum est. Recipiens autem de reditu cogitasse præsumitur, aliàs salvus conductus nullum haberet effectum, & aliàs captiosa esset concessio salvi conductus, qvod de judice præsumendum non est. Sed hæc usqve ad sententiam definitivam sunt intelligenda, biß etwas peinliches wider ihn erkant/ *Zang. d. c. 5. n. 20.* Nam contra vim tantùm, non juris executionem salvus conductus conceditur, *per artic. 156. Ordinat. crim. in fine:* Und sol derselbe zum Rechten für unrechter Gewalt/ und nicht weiter/ vergleitet werden. 17

Specialis salvus conductus est, qvando reo, præstitâ cautione, plena datur securitas, sub publico sigillo judicii, ut per totum tempus litis durantis liceat ipsi in loco judicii inter suos commo- 18

rari, & deliberare cum amicis & cognatis suis de defensione suæ innocentiæ, *Carpzov. d. qvæst. 112. num. 20. & seqq. & Dd. ab eo allegati.*

19 Sed *cui concedendus salvus conductus?* Et rectissimè hoc etiam explicatur à *Dom. Carpzov. d. qvæst. 112. num. 32 & seq.* dum distingvit inter absentem ac latitantem, atqve præsentem seu incarceratum. Si reus sit fugitivus & latitet, & Magistratus omnibus modis laborarit, ac officiales suos cum literis patentibus incarcerationis ablegaverit, qvo delinqventem caperet, nec ipsum tamen in potestatem suam redigere potuerit: qvando, inqvam, Magistratus videt se frustra laborare, & metuit, ne reus longius recedat, hoc inqvam casu, reo absenti & petenti melius est, ut salvus conductus detur sub cautione, qvod reus se velit in qvibuscunqve actibus, & præsertim tempore sententiæ definitivæ sistere; qvàm ut caussa planè maneat indiscussa. Et certè negari neqvit, utut delictū sit notorium atqve atrox, qvia tamen reus negat delictum, vel aliqvam qvalitatem ac circumstantiam allegat, qvæ probata ipsum à pœnâ delicti saltem ordinariâ, si non omni, liberaret, rem fieri dubiam. Sed hoc, ut dixi & benè notandum puto, non aliter intelligendum, qvàm si judex omnem operam in reo capiendo, præsertim in gravioribus, sed frustrà, impendisset. Nec admittendus est qvi petit securitatem nulla expressa causa. *Mevius p.3. dec.169.*

20 Posteriori casu qvando reus est in vinculis, tunc securitas sivè salvus conductus Reo non debet dari, ne aufugiens judicium eludat, *l. Divus 3. ff. de custod. reorum. Farinac. qvæst. 33. numer. 48. Dambud. in Praxi crim. cap. 20. num. 4. Carpz. d. qvæst. 112. num. 43.* & pœnæ corporali non posset per fidejussorem satisfieri, *Dambud. d. l.* Nisi esset delictum leve, *Dambud. d. l. Carpzov. d. l. num. 45.* aut reus gravi morbo decumberet, vel rea esset vicina partui, & ratio sanitatis Rei in carcere haberi non posset, *Carpzov. d. l. q. 112. n. 47.* aut ex processu videat judex, reum esse insontem, tunc judex, si ita ipsi videbitur, poterit reum sub fidejussoribus relaxare, *arg. l. 2. C. de exhibend. reis. Clarus §. fin. q. 46. n. 10. Carpz. d. q. n. 52.*

21 Sed nolim autor esse judici, ut sine consilio Sapientum reum relaxaret sub fidejussoribus, sed tutissimè aget, si Peritiores super hoc puncto consulat.

Tollitur

Tollitur verò salvus conductus pluribus modis: 1. Si ipse reus offendat adversarium suum, & sic ratione sui securitatem violet, *arg. l. si qvis major. 41. C. de Transact. Carpzov. d. qvæst. 112.* 2. Si per sententiam ipsi vel tortura vel pœna corporalis dictetur: tunc enim cessat salvus conductus, & reus carceri mancipatur: Wenn etwas peinlichs über ihn erkant wird. Nam non datur ipsi securitas, nisi contra vim & injurias, non contra juris executionem, *d. art. 156. in fine.* Et licet hoc neget *Oldekop. decade 1. qv. 10.* ex ea ratione, qvia potest appellare. Resp. 1. Atqvi à sententia definitiva potest etiam appellari. 2. Appellatio concedenda sed in carcere; & nulla est conseqventia, appellare potest; Ergo continuandus est salvus conductus. Nova oritur ex sententia præsumptio, & solet conductus dari biß etwas peinlichs erkant/etc. si tamen est judex suspectus, & fortè semel violavit conductum, admittenda est Appellatio. *Mevius p. 3. dec. 153.* 3. Si tempus salvo conductui præfinitum præterlapsum. Nam solet nonnunqvam salvus conductus ad certum tempus restringi, v. g. tres menses &c. hoc fine, ne reus judicium eludat, protelando litem, & ambages qværendo. 4. Si reus delictum spontè fuerit confessus, purè scilicet, & non cum qvalitate aliqvâ, qvippe in confessum non sunt partes aliæ judicis, qvam ut illum condemnet, & in jure confessus pro judicato habetur, *l. post rem. 56. ff. de re judic. Carpzov. d. qvæst. 11. num. 82.* 5. Retractatur etiam salvus conductus, qvia inqvisitus non fidit eidem, sed per literas forte narrationem facti transmisit, qvia non est servandus salvus conductus ei, qvi ipse promissa non præstat *Farinac. q. 29. num. 65.* Sic etiam 6. retractari putant salvum conductum, si reus novum delictum commiserit, ut Dd. qvos allegat *Farin. q. 29. n. 58. & seq.* Sed tunc non tollitur salvus conductus, sed potius capitur reus ob novum delictum, nec itaqve ob minimum delictum statim fides publica violanda. 22

Dixi suprà, salvum conductum sub cautione fidejussoria dandum, ubi qvantitas, in qvam se obligant fidejussores, à Collegio peritorum ut plurimum determinari solet: sed *annon pignoribus cavere reus potest?* Id rectè affirmare videtur *Carpzov. d. qvæst. 112. num. 98.* Nam regulariter hodiè, ubi satisdatio exigitur, ea pignoribus etiam fieri potest, *Wesenb. in π. Qvi satisdare num. 7.* præser- 23

tim si alter pignoribus sit contentus, *l. ult. §. 3. ff. Qvod legatorum. l. 61. de V.S. & ibi Gœdd. num. 3.* Sed juratoria cautio ad obtinendum specialem salvum conductum non sufficit, nisi crimen sit levius, *Ca pzov. d. l. n. 104.* qvi & rectissimè *num. 119.* statuit contra *Matth. Colerum*, fidejussorem non obligari ad pœnam promissam nisi qvando in ultimo termino non comparet, ubi pœna corporalis vel tortura dictitatur.

24 Sed fidejussor non statim compellendus est, solvere pœnam non exhibiti rei, sed dandum ei aliqvod est spatium, juxta *l. Sancimus C. de fidejuss. & ibi notata.*

25 Sed qværitur commodè: *Si reus, ut fieri solet, ultimò termino emaneat, & fidejussor summam promissam exsolverit, annon reus postea, si occasio ferat, iterum in vincula conjici, & sententia contra ipsum late executioni dari possit?* Qvod etiam affirmamus cum *Carpzovio num. 133.* qvia pœna per cautionem promissa, magis concernit contumaciam vel culpam ac promissionem fidejussorum, non sistentium reum, qvam ipsum principale delictum, & alias reus possit pro lubitu pœnam corporalem fugiendo convertere in pecuniariam.

26 Est & alius modus procedendi contra absentes, scilicet *processus Banni*, qvi non qvidem jure Justinianeo receptus, sed consvetudine: & qvidem tàm in foro Saxonico, qvàm aliis Imperii partibus. In Italia sanè processum Banni freqventissimum esse, tot tractatus de Bannitis, scilic. *Jacobi de Arena, Nelli à S. Geminiano, Flamminii Chartarii*, aliorumqve testantur.

27 In Camera Spirensi in duobus casibus receptus est processus Banni, scilicet in casu contumaciæ, & fractæ pacis publicæ, & qvidem ob fractam pacem suspecti citantur, ut se purgent. *Ord. Camer. pr. tit. 10.* De qvo processu Banni agit *Gail. in doctißimis libris de Pace publ.* Sed de eo agere non est nostri instituti.

28 In Saxonico foro in omnibus fere gravibus delictis contra absentem ad Bannum proceditur, sicut etiam multis in locis, ubi jus civile aliàs viget.

29 In conventione etiam illâ inter Serenissimum Electorem Brandeburgicum & Duces Pomeraniæ ac Megapolitanos initâ cautum, qvod citationes edictales contra receptatores prædonum decerni, & si

& si contumaciter emanserint, pro convictis illi haberi possint: h. v. Die jenigen aber/welche auff solche Ladung sich nicht gestellen/ oder aber sich der zuerkandten purgation hernacher weigern/die sollen alsdenn der That schuldig und überwunden gehalten werden/ etc. ubi *in seqventibus* excipiuntur causæ absentiæ necessariæ.

Et in multis locis Imperii consvetudinem istam vigere, ut homicida absens damnari possit, apparet *ex art. 155. Ordin. Crimin.* ubi ista consvetudo non improbatur, germanicè die Mord-Acht. Ideoqve de processu Banni hic etiam brevissimis agendum. 30

Est autem processus Banni, qvo ob delictum Judex procedit ad instantiam Accusatoris contra absentem, in hoc, ut contumaciter si emaneat, veluti confessus condemnari possit, *Nellus d. Tract. de Bannitis part. 1. num. 1.* Reqvisita ejus processus ut scilicet ille locum habeat ex *Dom. Carpzov. qvæst. 140. num. 49 & seq.* possunt constitui duo: 1. ut præcesserit generalis inqvisitio de corpore delicti, & personâ delinqventis, ita ut ex ea generali inqvisitione non tantùm certo constet de corpore delicti: sed etiam probabiliter de personâ delinqvente, qvæ indicia ex generali inqvisitione resultantia, non parum adjuvat fuga Inqvisiti. 2. ut delictum tale sit, ut pœna ultimi supplicii locum habeat. 31

Processus autem Banni ita se habet jure Saxonico, ut brevissimis declarem. Constituto judicio criminali publicè citatur reus absens & fugitivus, & qvidem vel ter, ut qvælibet citatio duas septimanas complectatur: vel unâ citatione peremptoriâ continente sex septimanas & tres dies. Eaqve citatio debet fieri per Edictum, qvod debet publicè affigi in trium diversorum Dominorum territoriis & districtibus, si scilicet vagabundus sit. 32

In causa Rapinæ, ut hoc obiter dicam, in nostro Electoratu, in qvo tamen aliàs non jus Saxonicum, sed Civile observatur, ubi contra Absentem & fugitivum procedi potest, citatio Edictalis in qvatuor Urbibus principalioribus affigenda, juxta *allegatam Conventionem Sereniss. Electoris Brandenb. cum Illustriss. Ducibus Pomeraniæ & Megapolit.* h. v. Wider die jenigen/so entkommen/sonsten aber bekandt seyn/soll also verfahrẽ werden/daß sie in vier Haupt-Städten deß Landes/ in welchem Lande Raub/Nahm oder Mord verübet/ öffentlich angeschlagen/ und auff einen gewissen Tag/mit Zu- 33

schreibung eines gewissen Geleits geladen werden / ihre Unschuld beyzubringen / etc.

34 Citatione jam legitimè factâ & reo in termino primo non comparente, & accusatore (qvia hic ordinarius processus, atqve adeò etiam accusator necessarius est, qvem judex ex officio constituere potest,) contumaciam ejus accusante, statim condemnatur & bannitur usqve ad probationem legitimi impedimenti & idoneam excusationem: & denuò citatur ad modum *supra* scriptum ad probationem impedimentorum. Qvod si in isto termino secundo reus non compareat, declaratur reus incidisse in Bannum, affixâ declaratione Banni iis in locis, in qvibus anteà citatus.

35 Qvod si ultra annum & diem in Banno perseveraverit reus, neqve se purgaverit, ad superius Bannum (seu die Oberacht) agere accusator potest, processu eo, ut antea diximus, & sic etiam in secundo processu ea observantur, qvæ in Banno simplici.

36 Effectus *Banni simplicis* est, ut Bannitus ob contumaciam habeatur pro convicto, ita ut in Territorio Bannientis judicis, à qvolibet tanqvam de crimine convictus, capi & executioni judicis bannientis tradi possit.

37 *Superioris Banni* hic est effectus, ut 1. contumax non tantum habeatur pro convicto in territorio judicis bannientis, sed etiam totius Provinciæ Domini superioris, adeo ut contra eum ubiqve criminaliter agi possit, non jure communi, sed hoc consvetudine & privilegio est introductum, qvalia privilegia in Belgio recenset, *Ant. Matth. ad l. 48. tit. 20. cap. 3. n. 7. Deinde* bona ipsius confiscantur, salvâ uxori statutaria portione, & liberis legitimâ. Hæc de forma processus Banni maximè foro Saxonico, qvam prolixius describit *Carpz. d. q. 140.*

38 Ubi autem non observatur jus Saxonicum, sed jus commune, & nihilominus processus Banni receptus est, ibi attendendæ sunt consvetudines loci. Nam in jure communi non habemus processum banni, nisi Imperialis contra contumaces & Pacis publicæ violatores. Sed ubi non apparet Consvetudo specialis, ita procedendum putarem, ut citato absente, & qviden per Edictum in trium Dominorum territoriis, vel in qvatuor urbibus affixum, ut *suprà* dictum, (nam facit hoc, ut ad notitiam Rei pervenire facilè possit)

possit) & citato qvidem reo peremptoriè datoqve termino, qvi trium citationum tempus complectatur, accusator à judice ex officio constitutus debeat in termino contumaciam Rei accusare, & petere, ut ex statuto contumax etiam in hoc negotio criminali pro convicto habeatur & declaretur. Qvo facto reus citandus esset per Edictum, modo jam declarato, ad audiendum & videndum se banniri, vel ad allegandam caussam, qvare non, qvod *ex parte 3. artic. 45. Ordin. Cam.* potest probari, *ibi:* Doch wo der Kläger also zur Acht wider den Ungehorsamen procediren wolte / soll er denselben von neuen dazu / wie sich gebühret / und nemlich zu sehen und hören / sich umb solch sein Ungehorsam in die Acht und Oberacht zu erkeñen / oder Ursachen dawider fürzuwenden / laden und citiren lassen. Und so er darauff außbleiben / und abermals ungehorsam seyn würde / alsdenn allererst nach erkañtem und beschehenem Ruffen / auch Verscheinung der dreyen Gerichts-Tage / hernach in die Acht erkläret uñ erkennet werden. Qvæ qvidem de Banno Imperii & caussis civilibus loqvuntur, huc tamen verè accommodari possunt.

In Marchia, Pomerania & Megapolitano Ducatu qvomodo citatione peremptoriâ facta procedatur, apparet *ex dicta Conventione Principum* §. Auff den ungehorsamen Fall aber sollen sie alsbald ehrloß gemacht / des Landes *bandiret*, auch als Ehrloß durch den Nachrichter in der Haupt-Stadt / so dem Orthe / da der Raub begangen / am nähesten gelegen / in allen der Stadt Haupt-Gassen / *proclamiret* und außgeruffen werden 2c. ubi *in seqventibus* additur, etiam ad Duces, si militiam seqvantur, scribendum esse. 39

Sed qvomodocunqve formato ex consvetudine loci processu Banni, si captus sit bannitus, non statim exeqvenda est sententia; sed bannitus captus ad deductionem innocentiæ suæ admittendus est, *juxta artic. 155. Ordin. Crim.* Et ideo bannitus captus non tantùm super fuga & banno audiendus, sed etiam alia contra eum militantia indicia ipsi communicanda, ad defensionem *Farin. q. 11. num. 45. & seq. Oldek. decade 2. q. 6.* Hic qværitur, an bannitus à qvolibet impune occidi possit. Hoc de banno Saxonico negat *Carpz. q. 140. num. 135.* Sed de Imperiali banno id concedit, qvod durum tamen est dicere, qvia & Imperiali banno, si ob contumaciam vel ob fractã pacem publicam in bannum declaratus qvis sit, 40

possit

possset habere excusationem aliqvam & defensionem. Et posset vindictæ privatæ studium concurrere & statuta occisionem banniti permittentia ad casum eum, qvando qvis plene convictus, non in contumaciam restringunt *Rol. à Valle, conf. 45. n.66. vol.1. & Gail. de P.P. l. 2. c.5. in fine.*

41 Præcipuè verò instituenda est primò recognitio personæ, *Farin. qvæst. 11. n.21.* qvæ facienda per propriam Rei condemnati confessionem. Interrogatur enim, an sit ille ipse, contra qvem processus Banni institutus. Potissimum verò hæc recognitio necessaria est qvando ignoratum ante fuit nomen Inqvisiti, qvem modum recognitionis pluribus describit *Ambrosinus lib.6. de modo formandi processum informat. cap.1.*

42 Sed in nostris judiciis, sic ubi processus Banni in usu est, non opus fore puto tanta scrupulositate in recognoscenda personâ banniti, qvalem qvidem desiderant & usurpant Itali, cum apud nos (DEO laus!) tanta facinorosorum hominum & bannitorum copia non sit. Qvamvis omnino certus esse debeat judex, captum esse illum ipsum, contra qvem sententia banni lata est.

43 Postea capto bannito dandus est terminus, intra qvem se defendere possit, ut pluribus tradit *Farinac. qvæst. 11. numer. 47.* Qvod etiam vult *Carpzov. d. qvæst. 140. num. 106.* ubi tradit, Inqvisitum ad defensionem probandam admittendum esse. Qvamvis enim ex statuto etiam in criminalibus contumax pro convicto habendus sit, præsumptivè tamen hoc intelligendum, & admittit hæc præsumptio probationem in contrarium, prout pluribus confirmat *Farinac. d. qvæst. 11. num. 6. & seq.* Sed cum hæc, qvæ de banno dicta sunt, apud nos non sæpè occurrant, nolo in his esse prolixior, sed lectorem ad ea remitto, qvæ *Farinac. d. q. 11. & alibi: Flamm. Chartar. in Tractat. de Execut. sentent. capt. bannito. Ambrosin. d. lib. 6. cap. 1. & seqq.* nec non *Carpzov. d. qvæst. 140.* prolixè tradunt & alii.

CAPUT

CAPUT IX.

DE POENIS SINGULORUM DELICTORUM.

SUMMARIA.

1. Qvis sit effectus Processus inqvisitorii? R. num. 1.
2. An reus, qvi indicia elisit, definitivè absolvendus? R. n. 2.
3. An absolutus in expensas condemnandus? R. n. 3.
4. An condemnatus ad ultimum supplicium in expensas condemnandus? R. num. 2. 3.
5. An reus non confessus, convictus tamen, sit condemnandus? R. n. 4.
6. Qvid si reus non satis convictus est? R. n. 5.
7. Juramentum purgationis qvando dictandum? R. n. 6.
8. Qvid in dictanda pœna observandum? n. 7.
9. Pœna Blasphemiæ. n. 7.
10. Pœna perjurii. n. 8.
11. Hæreseos. n. 9.
12. Apostasiæ. n. 10.
13. Pœna eorum, qvi pactum cum Diabolo ineunt.
14. Magiæ pœna. num. 12. 13. 14. & seqq.
15. Pœna sortilegii. n. 18.
16. Consulentium Magos. n. 19.
17. Crimen Majestatis qvid? Et in qvos committatur? n. 20. seqq.
18. Ejus pœna. n. 22. seq.
19. Pœna Principi maledicentis. n. 26.
20. Pœna seditionis. n. 27.
21. Adulterium sumitur dupliciter. n. 28.
22. Ejus pœna capitalis. n. 29.
23. Remittitur ea interdum. n. 30. 31.
24. Qvid si pars innocens intercedat pro nocente? num. 32. seqq.
25. An remissio partis innocentis prosit etiam socio? R. n. 36.
26. Qvid si adulterium commissum cum sponsa? num. 37.

60. Pœna Aſſaſinii. n. 77.
61. Latrocinii. n. 78. 79.
62. Pœna Criminis fractæ pacis n. 80.
63. Proditionis. n. 81.
64. Incendiariorum. n. 82.
65. Sine homicidio ſpoliantium. num. 83.
66. Seditionis. n. 84.
67. Concuſſionis. n. 85.
68. Furti. n. 86.
69. Sacrilegii. n. 87.
70. Falſi. n. 88.
71. Variorum delictorum. n. 89.
72. Ebrietati qva ratione obviandum. n. 90.

Principalis totius proceſſus inqviſitorii effectus eſt Executio ſententiæ principalis. Eſt autem ſententia vel abſolutoria, vel Condemnatoria. Abſolutoria continet vel abſolutionem ab inſtantia, ubi ob defectum idoneorum & ſufficientium indiciorum reus abſolvitur ab hac Inqviſitione: Sed denuò inqviri poteſt, novis accedentibus indiciis. Abſolutio à cauſâ eſt, qvando reus probatâ ſua innocentiâ plenè abſolvitur à crimine ipſo & reatu. Utroqve caſu abſolutus Urphedam præſtare tenetur, id eſt, debet jurare, qvod carcerem, & qvod ratione ejus ſibi obtigit, nec per ſe, nec per alios in Magiſtratu, miniſtris aliisve, jure vel injuriâ velit vindicare, ut conſvetudo qvotidiana ſatis & *art. 176. Ordin. crimin.* comprobat. Hic ſtatim ſe offert qvæſtio, an qvi non convictus, ſed indicia eliſit torturâ, definitivè ſit abſolvendus, qvod qvidem negant commun. Dd. qvia iniqvium eſt hominem dubiæ innocentiæ ſe tueri except. rei judicatæ *l. 51. Ad L. Aqvil.* ſed *Gomez. p. 3. c. 13. num. 28. Menoch. l. 1. præſ. 93. Alciatus in l. ſi calvitur 233.* de V. S. & hos laudans *Ant. Matth. lib. 48. tit. 16. c. 4. n. 16.* volunt abſolvendum eſſe definitivè, qvia leges volunt, ſi qvis abſolutum velit iterum accuſare, debere alterutrum probare, ſcilicet 1. & novum accuſatorem dolorem ſuum proſeqvi, & ſe ignoraſſe accuſationem ab alio factam, aut fuiſſe impeditum, vel 2. prævaricatione prioris accuſatoris priorem Reum fuiſſe abſolutum, *l. 9. & 11. C. de Accuſat. l. 7. §. 2. ff. de Accuſat.* Interim hodie moribus noſtris non abſolvitur aliqvis à crimine definitive, niſi innocentiam docuerit, qvia delatores hodie rariſſimi, & defectu accuſatorum ſcelera multa manent impunita, *Ant. Matth. d. cap. 4. in fine.* 1

2 Sed qværitur: *Annon absolutus in expensas condemnari possit?* Verum qvidem est, victum non victorem in expensas condemnandum esse, *§. hæc autem omnia. J. de pœnâ temerè litig. l. 79. princ. ff. de Judic. l. 4. C. de fructibus & litium expensis*, nisi Adversarius probabilem causam litigandi habuerit, *juxta artic. 201. Ordinat. Crimin.* Qvia tamen in dubio Magistratus perCalumniam Inqvisitionem instituisse non præsumitur, interdum etiam ipsiInqvisiti actibus minus decentibus causam Inqvisitioni præbuerunt, sæpè etiam non à causa, sed ab instantia tantùm absolvuntur, fortè qvod indicia per se qvidem satis urgentia per torturam purgarint: Ideoq; interdum vidi reum qvidem absolvi, sed ab instantia tantùm judicii, & condemnatum tamen simul ad refusionem expensarum. Observandum ideoqvè judici, ut si inqvisitus ipse causam dederit Inqvisitioni, vel indiciis ita gravatus, ut tantùm confessio ipsius desideretur, & tamen inqvisitus indicia purgarit per torturam; hoc inqvam, vel simili casu Judex, qvando videt ob defectum probationis reum absolutum iri, simul à Collegio Jurisperitorum qværat, an non inqvisitus pro re nata ad expensas refundendas condemnari possit, ob facta indecora & improba qvibus majoris delicti suspicionem præbuit, qvod sæpius factum.

3 Sed an ad supplicium condemnatus reus ad expensas condemnari potest? Id qvidem nonnullis videtur iniqvum, *Mod. Pist. p. 1. q. 11. Carpzovio*, & aliis; sed rectè *Ant. Matth. tit. 17. c. 4. num. 2.* ait, se non videre, qva in re illa iniqvitas & absurditas consistat; nam cum olim damnatorū ad mortem bona qvoq; publicarentur, atq; ex his qvartam partem accusatores pro præmio conseqverentur, num absurdū hodiè postqvam Justinianus publicationem bonorum majori ex parte sustulit, conseqvi saltem accusatorem vel judicem, qvi ex justa causa debuit inqvirere, erogatas in eam processum pecunias? Præsertim id æqvissimum in iis, qvi nullos relinqvunt liberos aut parentes. Et si multi sumtus erogati in reqvirendo reo, vel testibus convincendo. Et sane qvia processus inqvisitorii multas reqvirunt expensas, & rariores hodie, qvam olim mulctæ ceu fructus jurisdictionis, ex bonis condemnati expensas reqvisitionis & similes judici restitui æqvissimum est, præsertim si extranei hæredes ad bona veniant, vel sit locuples hæreditas, nam

suppli-

supplicium subiit in pœnam, expensas debet, qvia expensas faceret judex eum coëgit.

Qvando autem Reus est convictus, licèt confessus non sit, sententia condemnatoria contra ipsum ferenda est, juxta *artic. 69. Ordin. crimin.* cujus verba hæc sunt: So der Beklagte nach gnugsamer Beweisung nicht bekennen wolte/soll ihm angezeiget werden/ daß er der Missethat überwiesen sey / ob man dadurch sein Bekäntnüß desto eher auch erlangen könte: Ob er denn darüber nachmals nicht bekennen wolte/daß er doch/ als obstehet/ gnugsam überwiesen were/so soll er nichts desto weniger der überwiesenen Missethat nach ohne einige peinliche Frage verurtheilet werden. Latè *Carpz. qv. 116. num. 34. & seqq.* 4

Sed qvando reus sufficienter convictus non est, tum vel extra ordinem pœna arbitraria puniendus in delictis levioribus, mitius tamen, qvam si convictus esset, *Carpz. d. qv. 116. n. 51. & seqq.* vel in gravioribus torturæ subjiciendum, de qvo *suprà*: vel juramentum purgationis ipsi injungendum dicit *Carpzov. d. q. 106.* 5

Sed de primo admodum disputat *Oldek. decade 3. q. 8.* Et sanè Carpzovii sententia intelligi potest de pœna pecuniaria, de qva etiam *Menoch. l. 1. de præsumpt. q. 48. n. 3. & 4.* De præsumptione juris & de jure concedit *Oldek. d. l. n. 3.* cum *Menoch. q. 94. & 97.* Sed si præsumptiones sint juris, & hîc præferrem sententiam receptam, de pœna extraordinaria. Sin verò præsumptiones sint hominis, non puto condemnandum ad ullam pœnam reum cum *Oldek. d. l.* nisi puniatur reus ob culpam, scil. suspectam conversationem, superstitiones &c. ex qvibus orta est inqvisitio. Sanè interdum reus domicilium mutare juberi solet, ob incendium in ejus ædibus jam secunda vice exortum, ubi nec dolus, nec culpa probari potest. Sed hoc potius ad præcavenda scandala, qvam in pœnam fieri solet. Sicut & fœmina, qvæ de Magia suspecta, domicilium interdum mutare jubetur.

Juramentum purgationis dictandum est ei, qvi alias semper 6
fuit integræ opinionis *c. 1. X. de purgat. can.* qvo dicet se esse innocentem ratione ejus criminis, de quo infamatus est *c. fin. X. de purg. Can.* & adhibebantur 7. compurgatores, qvi de innocentia rei credulitatis juramentum præstabant *c. 5. d. t.* qvod in desvetudinem

abiit in Camera Spir. attamen adhuc in crimine fractæ pacis reqviritur *Ord. Cam. p. 2. tit. 10. Gail. l. 2. de P.P. c. 7.* & in causis feudalibus. *c. Sacramentum de consvet. recti feudi. Heig. p. 1. q. 40. num. 52.* Sanè hoc juramentum non ex semiplena probatione, sed ex suspicionibus tantùm defertur. Recusans id præstare pro convicto habendus *c. 7. & 10. d. t.* Sed si præstiterit juramentum, absolvendus est definitivè, etiam ab expensis, ut vult *Heig. d. qvæst. 40. n. 38. Carpzov. §. 116. num. 77.* qvod intelligo, nisi suspectis actibus aut scandalis causam præbuerit; nam tunc posset condemnari ad expensas, licet de ipso crimine absolvatur definitivè.

7 In dictanda autem pœna magna accuratione, doctrina, experientia & dexteritate opus. Licet enim fere omnibus sceleribus suæ sint constitutæ pœnæ, circumstantiæ tamen admodum variant, ideoqve Car. V. Imper. judices sæpe remittit ad peritiores JCtos. Et Serenissimus Elector Brandenburg. ad facultatem nostram Juridicam & Scabinatum Brandenburgensem. Qvia crimina varias habent species, ideo earum pœnas subjicere lubet breviter. Prima species Delictorum est in ipsam Divinam Majestatem, & qvidem 1. Blasphemia in Deum ipsum immediatè commissa cujus pœna statuta in *polit. Reform. de anno 1530. tit.* von Gotteslästerung. pro prima vice carceris, secunda vice pecuniaria pœna in dotandas virgines pauperes convertenda, tertia vice capitalis. Contra Matrem Domini pœna afflictiva corporis vel pecuniaria; *tit. seq. in Ordin. politica de anno 1577. t. 1.* dictatur pœna capitalis vel abscissio membri, qvod intelligo, si injuriam atrocissimam in Divinam Maj. ex impio ore exspumaverit, ut in Facultate nostra judicatum scio, nec ejus nos pœnitet, conf. *Nov. 77. Carpz. pr. crim. qvæst. 45.* Hoc autem scelus raro, qvod lugendum, in inqvisitionem venit, & hic deceret potius severitatem adhibere, qvam clementiam.

8 Alterum delictum est perjurium, si qvis sciens juramentum formale & solenne falso præstet, si in causa civili, debet restituere damnum cum omni causa, & postea deponendus omni dignitate & beneficio & fit infamis & præcidebantur duo digiti, qvibus Sacrosanctum Evangel. tetigerat; si verò in criminali causa capitis pœna ei, contra qvem juratum, irrogata, similitudine supplicii afficiendus perjurus *art. 107.*

Ter-

Tertium, Hæresis est in nostro jure pertinax defensio errorum in qvatuor illis Oecumenicis Conciliis *Nicæno, Constantinop. Ephes. I. & Chalced.* damnatorum, *l. 8. C. de Hæret. N. 115. c. 3. §. 14. Tabor. in Barb. l. 8. c. 4. ax. 2.* cujus variæ pœnæ Exilium, amissio bonorum, deportatio & interdum in docentibus ultimum supplicium, *d. l. 8. §. fin.* Pontificiis simpliciter est pœna capitalis; nostris non, nisi blasphemia concurrat *Carpz. pract. crim. q. 44.* Hæretici qvietè viventes asperius tractandi non sunt, *N. 129. c. 1.* 9

Qvartum Apostasia seu defectio à tota fide Christiana, qvorum pœna merito gravior esse debet hæresi *t. t. C. de Apostatis.* 10

Qvintum qvicunqve pactum cum Diabolo expressum habent, illi pœna legis Corneliæ tenentur. Ut magi, mathematici qvi nomine scientiæ sc. abutuntur, eoqve sua somnia palliant, augures, aruspices, vates, arioli, sortilegi, & talia qvi docent, vel discunt. 11

Magi in specie sunt qvi diris defigunt homines &c. sed hi vel igne vel gladio absumendi *l. 3. 5. 6. C. de Math. Ant. Matth. ad l. 48. tit. 5. cap. 5.* 12

Qvi hominibus aut animalibus diris suis nocuerunt, illi in specie vivi exuruntur, *art. 109.* 13

Qvi hominibus aut brutis non nocuerunt, expressè tamen contraxerunt fœdus cum Satana & renunciarunt fœderi cum Deo inito, illorum pœna est capitalis. Idqve Jure Divino *Exodi 22. v. 18. Lev. 20. in fine. Deut. 18. v. 10.* & horum pœna est ignis, per tradita *Matth. Steph. ad d. art. Carpz. q. 49. n. 29.* qvamvis soleat etiam pœna gladii dictari, qvod *art. dict. 109.* videtur magis congruere. 14

Qvi verò expressum pactum fecerunt, & simul abominandam consvetudinem habuerunt cum Satana, solent pœna ignis affici, *Carpz. q. 49. n. 45. & seqq.* 15

Qvi citra expressum pactum tamen magicis utuntur remediis & aliis nocuerunt, illorum pœna merito est eadem, qvæ veneficorum, & solent in Saxonico foro & alibi etiam gladio puniri, *arg. l. 5. & 6. C. de Mathem. Carpz. q. 50.* De ædituo, qvi aqvam baptismalem ad superstitionem concessit, vid. *Carpzov. p. 2. dec. 185.* & de eo, qvi mediis superstitiosis potentiam coeundi novis conjugibus adimit, *Carpz. dec. 186.* 16

Qvi

17 Qvi per artem magicam divinantur, illorum pœna itidem est gladii per *d. l. 5. Carpz. d. q. 50. n. 40.*

18 Sortilegi verò qvi superstitiosis remediis characteribus amuletis &c. utuntur, illi arbitrarie puniuntur, abolita *lege 4. C. de Malef. de qvibus Carpz. d. q. 50. n. 49.*

19 Consulentes Magos gladio feriendi, si sc. dolo id faciant, non ex simplicitate *Exod. 20. v. 6. Deut. 18. n. 10. & l. 3. & 5. d. t. de Malef. Ant. Matth. d. c. 5. n. 5.* & multo magis qvi rogat veneficam, ut torqveret hunc vel illum.

Alia crimina committuntur in homines & publicam hone-
20 statem & tranqvillitatem, inter qvæ præcipuum est crimen Majestatis, qvod in populum Romanum ejusqve securitatem perpetratur & hoc à subditis tantum, non verò à vasallis, nisi simul subditi sint, committi potest, *Clement. pastoralis de sent. & re judic. Ant. Matth. l. 48. tit. 2. c. 1. in fine. Ant. Faber. in Cod. tit. 6. def. 10. Farin. q. 112. n. 48.*

21 Majestatis autem crimen duplex: Aliud qvando qvis hostili animo contra Rempubl. ejusqve securitatem insurgit. Cujus exempla recensentur in *l. 1. & 2. ff. de crimin. Majest.* Et hoc crimen etiam contra Electores Imperii committitur, *c. 24. Aur. Bullæ.* qvod tamen alii ad Imperii Status extendunt, vid. *Carpz. q. 41. num. 88. Ant. Matth. t. 2. n. 4. in fin.*

Committitur etiam in Consiliarios, si odio status præsentis fi-
22 at. Hujus pœna est gladius *art. 124.* etiam sectio in qvatuor partes *Carpz. q. 41. num. 40.* & confiscatio bonorum *l. 5. C. d. t. Aur. Bullæ d. l. Const. Car. art. 218.* & hic conatus, imò consilium, si ad exteriorem actum processit, punibile, *Farin. q. 116. §. 4. n. 152.*

23 Et liberi sunt intestabiles *d. l. 5. §. 1.* & filiæ tantùm legitimam maternam capiunt qvod durum nimis & asperum, *Ant. Matth. c. 3. n. 10.* ideo hoc qvidam sublatum putant, qvos allegat *Farin. q. 116. n. 144.* ubi in præcedentibus hanc materiam latissimè tractavit.

Et pœna capitalis manet etiam conscium, si non tantùm con-
24 sultor, sed etiam si nudam scientiam habuit & periculum vel denunciatione val admonitione potuit avertere *d. l. 5. § pen.* Ergo tenetur qvilibet hoc revelare *d. l. 5. §. ult. Men. l. 2. A. Q. casu 355. & seqq. Ant. Gabriel. l. 7. concl. ult. n. 5.*

Cri-

Crimen Majeſt. ſimplex, qvod contra ſplendorem & dignitatem principis patratur, ut ſi qvis ſtatuam dejecerat *l.6.h.t.Farin. qvæſt.113.n.49.* Ubi non ſemper pœna gladii, ſed interdum relegationis, vel deportationis, *l.40.juncta l.24. de pœnis.Carpz. q. 41.n. 97.Bach.ad Tr.th.1 lit.D.de ſpecieb. crim.* 25

Proximum ſcelus majeſtatis crimini eſt Maledictum in principem ejectum, qvod tamen crimen Majeſtatis proprie non eſt,& ita non eſt puniendum ejuſdem pœna ordinaria, ſed ſi gravior injuria, negotium ad principem referendum,& pœna verò arbitraria qvia lubricum lingvæ ad mortem facile trahendum non eſt *l. 7. §. 3. Crim. Maj. Decianus l.7. c.50. n.3.* conf. *Farin.q.105. Inſpect. 10. Menoch.l.2. conſ.377. Heig. p.2.q.31.* Nemini magis convenit verba levium hominum contemnere, qvam Majeſtati, qvo major perſonæ ſplendor, eo magis contemnere debet injurias. 26

Seditio eſt mobilis vulgi concurſus tumultuarius contra qvietem publicam inſtitutus, *Car. Conſtit. artic. 127* Et ſi contra principem fiat, aut ſtatum, eſt perduellio, ſi contra Magiſtratum aut officiales principis, ex odio privato, non eſt perduellio *Farinac. qvæſt. 113. num. 183. & 192. & num. 201. Dambud. pract. crimin. cap. 63. num. 10.* conf. *Trentac. lib. 1. reſol. tit. de V. S. reſ. 1. num. 6. Nic. Boerius tract. de Seditioſ. l. 10. tract. tractatuum Ant. Matth. t.2. c.2. num.5.* Pœna eſt laqveus, gladius, flamma aut membrorum diſtractio, aut alia dura pœna *l.2. C. de ſeditioſis.* in nonnullos & relegatio dictatur, *Dambud. d. l. n. 11.* Plebs mulcta, etiam ademptione privilegiorum punitur *l.1.C.d.t.* ſi ſc. totus populus conſenſit & deliberato conſilio approbavit motum, nam alias innocentes, nullo jure puniri poſſunt, ſi nulla penes eos culpa *Decianus l.7. c.8. n.9. & ſeqq.* & qvi temere ſe immiſcet, non eſt ſtatim ſeditioſus. Ideoqve authores puniendi, multitudini ſeductæ parcendum *l.38. §. authores ff. de pœnis Ant. Matth. l.48. tit. 2. c. 2. num.6.* Temperari etiam pœna debet, ſi officiales malo regimine cauſam tumultui præbuerunt *Dambud. d.l. 9. n. 9.* & ſic pœna ratione cauſæ, ratione facti, ratione modi & damni dati eſt arbitraria. *Farin. d.l. n. 194.* 27

Adulterium ſumitur vel ſtricte vel late. Stricte committitur in nuptam, imò etiam in ſponſam de futuro, *l.12. §.3. ff. h.t. de Adult.* 28

& l. 7. C. eodem. Late dictum est stuprum à marito solutæ illatum. Deinde Adulterium est vel simplex, vel duplicatum, ubi utriusqve thorus violatur.

29 Adulterii pœna ex Constitutione Constantini *in l. 30. C. d. t.* est capitalis in mare & fœmina, licet mas sit solutus, qvia *d. l. 30.* loqvitur generaliter, nec ulla lex distinguit, nec ad adulterium duplicatum restringit, & Imper. Just. *in Nov. 134. c. 10.* generaliter pœnam capitalem approbat in mare, & postea dividit mares in maritos & solutos. *Clarus in §. adulterium n. 2. Matth. Steph. ad art. crim. 120. n. 5. Petr. Heig. p. 2. q. 29. Carpz. p. 4. C. 19. d. 3. & q. 53. n. 41. Berlich. p. 4. concl. 27. n. 35. Ant. Matth. t. 3. c. 7. n. 4.* de qvo merito inter Christianos nullum debebat esse dubium, cum sit Verbo Divino conforme, qvod omni Lege humana potius Christianis esse debet, & ex nulla lege Romana opinio qvæ juri Divino contraria, demonstrari potest.

30 Capitalis autem pœna remittitur in sexu fæmineo, nam adultera olim fustigata in monasterium detrudebatur, ex qvo intra biennium recipi poterat à marito, *Auth. sed hodie C. de Adult. N. 134. c. 10.* Nostris moribus fustigatur & exilio perpetuo punitur. Qvæ remissio pœnæ capitalis adulteræ à Justiniano facta merito displicet bonis, v. *Anton. Matth. l. 8. tit. 3. cap. 2. & c. 7. n. 3.* cont. *Carpz. q. 53. n. 12. & 20.* Sed in duplicato adulterio fæminæ non minus ac mares gladio in nostro Electoratu feriuntur, idqve semper dictatum in Protocollis reperimus, & id RECTISSIME.

31 2. Remittitur alicubi per statutum vel mores gladius cœlibi violanti nuptam, ut in Hollandia, qvod tamen contra jus Divinum & Cæsarium est, & merito displicet *Ant. Matth. d. c. 7. num.* 3. Claro, aliisqve Doctoribus, qvorum qverimoniæ videantur apud *Carpzov. p. 2. dec. 187.* Nec si alicui interdum fustigatio ex errore judicum dictata, propterea [consvetudo irrationabilis contra jus Divinum & Cæsarium pugnans admittenda. Ideoqve merito gladium dictatum fuisse refert *Carpz. d. q. 53. n. 51.*

32 3. Remittitur pœna adulterii, qvando pars innocens pro adultero intercedit, nam tunc remissa pœna ordinaria, corporalis etiam remitti solet, qvod ex *Nov. 134. c. 10.* aliisqve rationibus probat *Carpzov. q. 55. n. 6. & seqq.* qvod etiam moribus receptum, & tenetur

tur innocens conjux ream adulterii perſonam relegatam ſeqvi. Propter Remiſſionem etiam tacitam ex retentione uxoris & concubitu poſt compertum adulterium, imo etiam præſumtam remiſſionem ſc. qvando poſt mortem innocentis cognitum ſit adulterium, ceſſare pœnam corporalem tradit *Carpzov. d. q. 55. num. 40. & ſeqq.*

Sed omnia ſine jure, nam remiſſio mariti poteſt qvidem civilem actionem & civilem pœnam adulterii tollere, non vero publicam vindictam. Ideoqve mores recepti à Superiori eſſent corrigendi. 33

Id vero iniqvius, qvod, ſi uterq; conjux adulterii reus, & alter pro altero intercedat, pœnam ordinariam remittendam eſſe tradit *Carpzov. d. q. n. 70.* qvi tamen de foro Saxonico loqvitur, qvo caſu in praxi ſeqverer *Moll. p. 4. Conſt. 19. num. 11.* nam inconveniens videtur, beneficium innocenti datum adultero tribuere. Nam qvod innocente intercedente, adultero remittatur ſupplicium, id innocentis favore placuit, non nocentis. Sed hic uterqve nocens. 34

Limitat iſtam remiſſionem *Carpz. n. 109. & ſeqq.* qvod adulterio duplicato non liberet nocentem, nam privilegia ejusmodi juri divino qvodammodo contraria ſtrictiſſimè intelligenda. 35

Nec admittendum illud, qvod *Carpz. n. 122.* ſtatuit, remiſſionem innocentis prodeſſe etiam alteri parti ſeu ſocio vel ſociæ criminis, & *legem 17. §. 6. ff. de Adult.* oppido inepte allegari fatetur *Carpzov. d. l.* & incidit hæc ſententia in abſurditatem, nam ſi uxor multis lenociniis inducta & ſeducta fuerit, & ob id maritus ei crimen remittat, abſurdum videtur cauſam remiſſionis, qvæ magis gravat adulterum, ipſi prodeſſe ad pœnæ remiſſionem. Ponamns caſum, qvi contigit. Fuit civis, qvi habebat uxorem honeſtam, qvã deperibat mercenarius, cujus opera opifex utebaur. Hanc fæminam violare nitebatur ille homo peſſimus & nebulo, diu obſtitit hera, tandem multis lenociniis in furtivos amores pertracta, ſui copiam fecit adultero; commiſſo crimine, pœnitentiâ ſeria ducta rem omnem detexit marito ab ipſo veniam ſupplex petens, qvam impetravit. Sed accuſatus Adulter. Pœna ordinaria facile uxori remiſſa ob in terc eſſionem Mariti, & ob varias circumſtantias, qvæ 36

ad commiſerationem movere judicem poterant. Sed an propterea etiam nebuloni illi & Adultero pœna mitiganda? Non puto qvemqvam hoc dicturum, nam adulteræ parcebatur, ob varia lenocinia & artes, qvibus heram ſuam tandem vicerat nebulo; Et ſi ob remiſſionem factam uxori etiam nebuloni parcendum, utiq; faciendum id eſſet propter varias artes & inſidias, qvas ſtruxerat heræ, & ſic malitia & dolus adulteri eſſet cauſa, cur illi remittenda pœna ordinaria. Nam malitia adulteri eſt cauſa, cur Uxori parcatur, hactenus innocenti. Hæc gratia uxori facta eſſet cauſa cur etiam adultero parcatur. Cauſa cauſæ etiam cauſati eſt cauſa. Et experimur, ſemper conjuges qvando pro conjuge decepta intercedunt, allegare, qvod fuerit maritus vel uxor ſua decepta & variis lenociniis illecta. Sed hæc ratio corruptorem vel corruptricem magis gravat.

37 4. Remitti ſolet, ſi adulterium commiſſum cum ſponſa, ubi dictari ſolet Pœna fuſtigationis, ſed in jure Divino proculdubio hæc pœna capitalis *Devt. 22. verſ. 24.* Et *Cujac. l 6. obſ. 16. in fine* rectè ait, pœnam capitalem etiam juri civili conſentaneam, qvod & fatetur *Petr. Theodor. in Coll. Crim. d. 6. th. 2. lit. H.* allegatus à *Carpz. q. 56. num. 33.* nec hic extenſio fit, ſed ſub uxoribus etiam ſponſæ comprehenduntur, qvæ per ſponſalia de præſenti tales factæ, ideoq; practica emendatione merito indigeret.

38 5. Remitti ſolet, ſi uxor, in qva peccatum, publice proſtituerit ſe & meretricio more vivat per *l. 22. C. de Adult.* cui contrariari videtur *l. 13. §. 2. ff. d. t.* qvi textus conciliari ſolent, ut qvidem mulier ordinaria pœna caſtigetur, & primus, qvi eam corrupit, ſed cœteri pœna extraordinaria *Clarus §. Adulterium n. 27. Farin. q. 191. n. 85. Carpz. q. 57.* Aliter *Ant. Matth. tit. 3. c. 1. n. 6.* qvi inter uxorem in matrimonio retentam, & jam antea privata authoritate ſeparatam diſtinguit, qvæ diſtinctio non diſplicet.

39 6. Remitti ſolet, ſi perſona adulterium committens ſit perſona deſerta à ſua conjuge, nam tunc pœnam relegationis Scabinis placuiſſe refert *Carpz. q. 58. n. 23.* putarim tamen hic diſtingvendum, qvis cauſam deſertioni præbuerit, qvamdiu abfuerit deſertor, an pro mortuo vulgo habitus? nam poſſet aliqvis deſertioni cauſam præbere, ut licentius peccet.

7. Pœna

7. Pœna in totum remittitur, si adulterium ante qvinqvenni- 40
hm commissum *l.11.§.4.& l.29 §.5.ff. d.t.* nisi ob fugam rei comprehendi neqveat, *Carpz q.59.n.48.* Sed publica deprecatio à facultate nostra dictata fœminæ, qvæ post 10. annos in conscientia sua valde excruciata, demum delictum manifestaverat.

8. Mitigari solet pœna, qvando confessus est adulter, sed adul- 41
teræ, qvæ in fuga est, confessio haberi neqvit vel contra *Carpz q.60.* Sed ipse limitat, nisi aliqva indicia concurrant. Ergo qvando præsupponimus, judicem validis motum indiciis processum inqvisitionis instituisse, ex his indiciis & accedente fuga correi, præsumeretur confessio absentis, & ita non malè dictaretur inqvisito pœna ordinaria per rationes allegatas à *Carpzov. q. 60. n.2. & seqq.* nam præsupponenda sunt valida indicia contra fœminam, & si etiam fugitiva talis sit persona, in qvam ejusmodi præsumptiones cadant.

9. Mitigatur pœna, si adulterium non sit consummatum, si in 42
alterius persona sit impedimentũ, qvod sufficiat ad separationem, qvo tamen casu non subvenitur alteri socio criminis, si altera pars ex malitia aversetur conjugem, si ignoret conjugatum, separatio qvoad thorum & mensam si præcesserit, vel si qvis per fascinationes, varias blanditias tandem adductus, peccet, Ebrietas nimia modo non eo fine procurata &c. de qvibus *Carpz.q.61.& seq.*

Adulterium simplex inter solutam & maritum non pœna ca- 43
pitis sed fustigatione punitur, nisi innocentis conjugis intercessio interveniat, ubi relegatio, sed in Elect.Sax. marito pœna capitalis dictatur, de qva pœna *Carpz.q.54.*

Adulterio gravius est delictum Bigamia, qvæ meretur pœnam 44
gladii vel mortis ex *Const. Carol. art.121.* si modo fiat dolosè & consummata sit per concubitum, nec fiat ex causa desertionis, persona autem altera fustigatione punitur, de qvo *Carpz.q.66. per totam.*

Gravior etiam interdum est incestus. Nam si inter ascen- 45
dentes & descendentes sit commissus, capitalis pœna est, non per aliqvem textum juris civilis, sed qvia incestus talis procul dubio omni adulterio gravior est, & *argt. Levit. c. 20. v.15.* qvod ad liberos naturales extendit *Carpzov.q.72.num.34.* In affinitate inter adscend.& descend. communiter pœna fustigationis dictatur *Carpz.*

 q.74.

q.74.n.9. Eadem pœna inter fratres vel sorores, licet hoc neget & capitalem amplectatur *Ant. Matt. t. 3. c. 6. num. 14.* Qvamvis autem nonnulli Doctores in incestuosa hoc crimen non capitaliter vindicandum putent per *Nov. 134. c. 10.* qvos Doctores recenset *Carpz. q. 72. num. 5.* illa tamen sententia meritò improbatur per *l. 38. §. 2. ff. adult.* & non debent novæ leges, qvæ etiam rationi rectæ aliqvo modo adversantur, ad conseqventias produci *Ant. Matth. c. 3. cap. 6. num. 5.*

46 Qvando incestus non committitur contra jus gentium seu naturale, seu divinum, sed contra jus civile, ut inter consobrinos, tunc pœna videtur arbitraria, ut stupri, & pœna remittitur fœminis *d. l. 38. §. 2. de Adult.*

47 Stupri violenti pœna est gladii per *art. 119. Const. Crim. de qvo Carpzov. qvæst. 75.* qvi id extendit, si mulier metu mortis tandem consentiat.

48 Sodomiæ pœna capitalis est ignis in bestialitate, vel gladius, ubi mutatur sexus in crimine hoc abominando. simile est, qvod notavi ad *l. 1. n. 3. ff. de extraord. crimin.*

49 Manualis stupri pœna arbitraria fustigationis vel relegationis *Carpz. q. 76. n. 11.* forte posset exemplo Onanis etiam melius statui pœna capitalis, ut putat *Ant. Matth. t. 3. cap. 6. numer. 8. in fine.*

50 Simplicis stupri pœna est ablatio dimidiæ partis bonorum in personis honestis, in aliis coërcitio corporis, etiam fustigatio, hodie moribus nostris perversis pœna arbitraria, raro relegationis, freqventer autem carceris vel pecuniaria vel etiam nulla. Sed si stuprator ducere stupratam nolit, coërcitio corporis statui debebat *c. 2. X. de Adult.* ad qvem textum forte respexit Sereniss. Elector Brandenb. Div. Joh. Georg. *in Ord. Consist. tit. 62. in fine princ.* oder in Weigerung deß vermüge der Rechte gestraffet werden.

51 Post delicta carnis sunt vindicanda vis publica & privata. Illa est, qvæ à persona publica contra jus, vel publicæ personæ, vel ostentatione armorum fit; Et hujus pœna olim deportatio, hodie fustigatio, relegatio, amputatio manus, interdum & gladius, ut in *l. pen. ff. h. t. & l. 6. C. eodem.* Idem in vi publica extraordinaria, vid. *Ant. Matth. t. 4. c. 2.*

Et

Et huc pertinet raptus, cujus pœna gladius, de qvo in Codice actum, & stuprum violentum, de qvo supra. Et crimen fractæ pacis publicæ, cujus pœna est gladius vel bannum imperii, de qvo *Carpzov. qvæst. 35. & seq. vid. infr. n. 80.* 52

Vis privatæ pœna est confiscatio partis tertiæ bonorum cum infamia. *l. 1. ff. de vi priv:* hodie arbitraria. 53

Homicidii pœna est gladius. Excepti casus reperiuntur varii, qvi in jure fundamentum habent, sunt seqventes: 1. si fiat sine dolo per culpam. Dolus autem tunc abesse intelligitur, non tantum ubi non est propositum occidendi, sed ubi non est propositum vulnerandi, vel graviter percutiendi. Nam illud etiam dolosum est homicidium, ubi homicida habet animum saltem vulnerandi vel percutiendi eo instrumento, qvo mors inferri potest, ut hoc prolixe tradit *Carpzov. qvæst. 1. Practicæ crimin.* nam certe si propositum occidendi præcisè reqviramus, qvotus qvæso esset, qvi non exciperet se hoc animo non percusisse? sed semper opus foret tortura, ad extorqvendum animi propositum. Vel si torturam non habeamus, sicut valde dubius hic modus extorqvendæ veritatis, semper dubitandum foret, an justè condemnatus fuerit homicida ad supplicium. 54

Qvando autem culposum homicidium (ubi non est propositum nocendi, tali ratione, ut ex nocumento mors probabiliter seqvi possit) tunc hoc habet varias circumstantias, prout culpa est lata, vel levis, vel levissima. Et ita variis modis talis culpa vindicatur. Nam vel fustigatio, vel amputatio manus, vel relegatio perpetua aut temporalis, vel condemnatio, ut in aliqvo castello constitutus contra Turcam militet, vel pecuniaria, aut carceris pœna &c. qva de re prolixe agit *Carpzov. in pract. crim. qvæst. 27.* 55

2. Excipitur homicidium casuale, ubi nulla concurrit culpa ejus, qvi causa mortis fuerit, & tale homicidium omnino impune, vid. *Carpz. d. q. n. 51.* 56

Excipitur 3. homicidium necessarium, qvod qvis ob tuendam vitam suam, vel suorum, vel etiam in tuenda pudicitia sua & defendendis rebus suis committit, qvo casu ultimo tamen non impune feret homicidium, qvi res suas defendendo, invasorem occidit, si non sit in periculo vitæ constitutus, ut communiter sen- 57

tiunt

tiunt Dd. qvos refert *Carpz. in Pract.crim. qvæst.32.num.19.* Licet ipse dissentiat ab hac limitatione Doctorum. Sed tutius esset in sententia communi manere, sanguis humanus nimis pretiosus,& sanè non necessariò concludit argumentum à defensione concessa, ad potestatem occidendi. *L.1. C. Unde vi.* procul dubio loqvitur de invasione rei immobilis, ubi defensio in jure civili est licita in continenti: sed non putem propterea licere invasorem occidere, ubi nullum est periculum vitæ,& ubi facilè tali violentiæ adhiberi potest remedium per judicium spolii. Et nec *Const.Crim. art.150.* istam declarationem respuit. Et hæc limitatio Verbo Divino, qvod in hoc crimine præcipuè attendere debet Christianus judex, conformior est, & in conscientia securior, sed pœna poterit esse extraordinaria pecuniaria, major si facilè recuperari potuit, minor si nullo aut exigua aliàs spes recuperationis.

58 Nec tamen allegare potest necessariam defensionem,qvi Autor fuit rixæ & tumultus, nam talis gladio feriendus, si ab alio qvis in tumultu occisus sit, per *legem 6. C.Ad L.Jul. de vi publ.* qvanto magis si ipse interfecit alium & ita post multos alios rectissime hunc pœnæ ordinariæ subjiciet *Carpz. d.q. 29.n. 42.*

59 De eo, qvi minantem sibi & arma ostendentem occidit, an non teneatur ad pœnam ordinariam persolvendam? qværit *Carpz. d. q.29.num.56. & seqq.* ubi distingvendum, an ille qvi minatur se præparet ad vim inferendam & jam immineat illi,cui minatur, ubi fortè remissio pœnæ ordinariæ potest habere locum; sed ubi dubium,an comminator sit vim illaturus, & facile vim repellere, vel se subtrahere potuisset periculo,non evitabit pœnam ordinariam.

60 Circa excessum defensionis distinguendum monet *Dn. Carpzovius q. 28. & 29. ex Salomonio in l.3.ff. de Just. & Jure n.10.* inter Excessum defensionis & excessum inculpatæ defensionis. Ille est cum qvis invaditur, sed jam extra periculum est, ut si qvis insultorem fugientem, vel ab aliis comprehensum occiderit. Hic est,cum qvis adhuc in propulsanda vi occupatus in causa,modo,vel tempore excessit. Ille excessus in aliud delictum scil. vindictam transit & ordinariam pœnam occidens non evitabit,ut *Carpz.d.qvæst.28.* Sed hic extraordinariam pœnam merebitur. *Carpzovius* hoc ultimum *qvæst. 29. num. 29. & seqq.* extendit licet in moderamine inculpa-

culpa-

culpatæ tutelæ excesserit dolo manifestissimo, qvæ sententia licet sit communiter recepta, est tamen valde dubia, nam negari neqvit dolosum hoc esse homicidium. Et argumenta, qvibus moventur, non sunt magni momenti: Nam *L.38.§.8.ff.de Adulter.* loqvitur de certo taliqve dolore, qvo major esse neqvit, & alias insultatus qvi aggressorem fugientem, vel ab aliis comprehensum & detentum occiderat, & omnis qvi etiam excessum defensionis commisisset, evitaret pœnam ordinariam. *l Gracchus C.d.t.* loqvitur de casu, ubi impune per leges Cæsareas (qvæ hac in parte legibus Divinis obviant) permissum est homicidium. *L.1.§.ult. de Sicariis* loqvitur de summo dolore & qvidem speciali, *l. qvicum §. si libertus ff.de bonis libertorum* loqvitur de vindicta ac ultione non propria authoritate, sed per judicem sumpta. Et sane si hæc lex generaliter etiam de homicidio intelligeretur, certè omne homicidium ex vindicta factum ordinariam pœnam evitaret. Sed non facile putarem dari posse casum, ubi qvis ex manifesto dolo moderamen inculpatæ tutelæ excedat; Ponamus casum: Titius Sempronio inflixit alapam, ventum est ad manus, sed innocuè, ab Amicis diremptum est prælium, Titius cum gladio stricto in Conclave rediens, sed statim ab Amicis comprehenditur, ut nullum ab eo metui possit periculum, sed Sempronius gladio arrepto & per viscera in corpus adacto eum perimit. Vel Titius gladio stricto perseqvitur Sempronium, qvi se in ædes suas recipit oppessulato ostio, Titius januam effringere frustrà tentat, à Sempronio sclopeto exploso enectus. Si de his aut aliis similibus exemplis hoc intelligant, non putarem hos à pœna ordinaria simpliciter liberari, si manifestus sit dolus, si sciverint se jam non debere metuere periculum vitæ: Nam de manifesto imo & manifestissimo dolo loqvitur *Dn. Carpz. & Dd. alii.*

Qvalis autem pœna infligi debeat, si qvis per culpam excesserit moderamen inculpatæ tutelæ, de eo non habemus certas & speciales leges, sed pœna committitur arbitrio boni & Deum timentis judicis. Et non facile hic labetur judex; Si lata culpa, pœna etiam relegationis vel major locum habere potest &c.

Sed videamus de aliis limitationibus, qvibus interdum patro- 62
ni utuntur. Vulgaris est qvæstio de homicidio commisso in duello, vor der Faust/ an illud homicidium excusandum â pœna capitis?

Qvidni? dicent forte nonnulli, sed JCti communiter distinguunt inter occisum provocantem & provocatum, si provocatus sit occisus, provocantem, qvi occidit alterum, mereri supplicium capitis; Sed si provocans sit occisus, provocato dictandam esse pœnam extraordinariam, si scilicet provocatus sit verbis injuriosis, non si simpliciter provocatus, sed illa sententia non potuit mihi unqvam persvaderi. Refutavi istam sententiam, ni fallor, sufficienter, jam ante 24. annos, in *Exercitatione Justinianea 21. ad §. 2. Inst. De L. Aqvilia.* Leges qvæ movent dissentientes, loqvuntur vel de deprehenso adultero, vel de adultera, vel de provocatione reali seu invasione, non verbali, ut hic. Dolus præsumitur in facto illicito Legibus Divinis & humanis prohibito, scire debuit, pugnæ exitum non esse in hominis manu & arbitrio. Duellum est causa ordinata ad vulnerationem & conseqventer homicidium, & eventus cruentus facile cogitari potuit *l. qvoniam multa C. Ad L. Jul. de vi publ.* Allego magni Viri Consensum sc. *Antonii Matthei*, qvi rebus criminalibus magnam intulit lucem, cujus verba adscribere elegantissima non piget. Is *in tract. ad l. 48. ff. tit. 5. cap. 3. n. 8. Nos vero*, inqvit, *utrumq; qvi in singulare certamen prodeunt, capite plectendum censemus, non provocantem tantum, sed etiam provocatum; Cur enim provocatum comparemus ei, qvi moderamen inculpatæ tutelæ excessit? cum hic in insidias incidat, ille irruat: hic arceat à se vim & injuriam, ille etiam inferat; hunc periculum deliberare non permittat: illum tempus, ratio, amici deliberare jubeant.* Sed excipit ibidem casum, si in continenti orta rixa alter calore iracundiæ provocaverit, alter eodem fervore in pugnam descenderit, ubi à pœna gladii excusari ille poterit, qvi crebris Adversarii injuriis ita exacerbatus fuit, ut sustinere diutius collectam iræ vim neqviverit, qvod si autem qvis nulla graviore injuria commotus pugnam temerè conseruerit, cæso adversario, non evitaturum eum putat pœnam ordinariam. Sed de duello in continenti inito non simpliciter hanc limitationem admitterem, nisi viam evitandi injuriam nullam habuerit, aut convitiis lacessitus probabiliter metuat, ne si non congrederetur, in ipso conclavi occideretur, facilè non admittenda excusatio injuriarum graviorum. Sed enim sæpe duellorum defensores movent scrupulum, qvod si duella & provocatio

nes

nes secuta alterius cæde, alteri essent capitales, statim seqventur duella in continenti ex ira subitanea suscepta, ubi majus periculum vitæ & salutis æternæ, magis etiam esse capitalia. Resp. neqve hoc meum facio, qvod tales congredientes alium interficientes pœnam capitis non mereantur, nisi probabilis metus violentiæ simul concurrat. Duellorum impunitas est imperiorum calamitas & ruina, sed hæc ridentur ab iis qvi ridebuntur aliqvando.

Alii excipiunt profundè Ebrium, si ab hoc committatur homicidium, nisi sit ebriosus, aut sciat se ebrium rixas vitare & manq continere non posse. Qva de re prolixè *Carpzovius in Pract. crimin. q.146.* & qvos ibi citat. Eqvidem hanc sententiam non improbo, modo definitio profundæ Ebrietatis bene observetur. Nam ex Responsis nonnullorum Collegiorum latius intelligi â nonnullis Ebrietatem profundam observavi, si qvis forte vino aut Zytho inebriatus sciat aliqvo modo qvid agat, & ex rixa in cædem prolapsus sit, is licet titubet pedibus, profundè ebrius non est. Ideoqve tunc profunde ebrius erit, qvando furioso similis, qvando laborat omnino rationis exilio, daß er von seinen Sinnen nichts gewust. Ideoq; si qvis ex rixa præcedenti alium interfecerit, non statim ex profunda ebrietate hoc fecit, qvia pro furioso haberi neqvit: neq; firmum est argumentum, qvod edormita crapula, omnium fuerit oblitus qvæ in crapula fecerat. Nam præterqvam qvod simulata hæc sæpe habeatur oblivio, & non nisi per torturam exploranda, certe non seqvitur præsupponendo oblivionem, qvod nullum habuerit rationis usum, præsertim si odium præcessit, si homicida veteris odii recordatus vim inferat, si adfuerint præsumptiones non omninò alienatæ mentis, &c. Carol. V. per Rescriptum prohibuit remissionem pœnæ ob ebrietatem Pekius ad c: sin sine culpa &c. *R. 116. num. 3.*

A nonnullis excipitur Transactio. Si enim homicida transegerit cum occisi vidua & liberis, vel aliis cognatis, tunc qvidem omnes ferè consentiunt hanc transactionem non præjudicare Magistratui, sed nonnulli extraordinariam tantum hic concedunt pœnam. Sed ea opinio nullo jure nixa & iniqva est. Nam homicida obligatur ad interesse præstandum duplex, publicum & privatum. Publicum interesse præstandum 64

 est

affectus esse potest. Discamus ergo iræ moderari, qvi autem hoc facere nolit, sed ex ira sangvinem humanum fuderit, pœnam meritam sangvinis suæ iræ & voluntati tribuat. Si autem aliqvis plane alienatus à mente sua esse probetur, concedit *Carpzovius* mitigationem pœnæ. Sed vix hoc probari posse, ipse dicit *Carpzovius in fine d. qvæstionis.* Et si verus furor probetur, tunc non ira, sed furor considerabitur.

67 Alii in sectione cadaveris omissa defensionem collocant. Nonnulli hic urgent sectionem corporis, etiamsi illico mortuus sit vulneratus, qvod supra refutavi. Alii pœnam remittendam putant, si vulnus qvidem sit lethiferum, sed non semper, & si vulnus aliqvando sanatum legatur. Si etiam vulnus per sectionem aperiri non possit, qvando scilicet alicubi v. g. rure non statim haberi possit chirurgus, & interim cadaver ob putredinem & corruptionē secari amplius non possit. Sed hæc & similia inventa sunt in perniciem & panolethriam patriæ. Nam si omnes has & alias multas leniendæ pœnæ causas ad calculum revocaverimus, raro homicidium gladio plectetur, & necessario Germania sibi panolethriam accersitura est.

68 Veneficii pœna est Rota, scilicet occidere veneno est proditorium homicidium, & qvod evitari non potest. Ideoq; mas rota contundendus, fæmina culeo insuta in fluvium projicienda, *Constit. Car. V. art. 130.* qvam pœnam meruit is, qvi paravit & præbuit, si modo verum venenū fuit, ob aliqvod tamen accidens effectum mortis non habuit *arg. l. 1. in f. ff. de Parricid. Ant. Matth. ad l. 48. tit. 5. cap. 5. n. 3.* In foro Sax. indistinctè nulla habita ratione sexus locum habet *Carpz. p. crim. q. 20. n. 22.* Interdum exacerbatur pœna ob actuum freqventiam, vel ob qvalitatem personæ, cui præbitum venenum, ut v g. per forcipes prius ante supplicium puniantur, vel trahâ ducantur ad supplicium. Nec pharmacopœo impunita esse debet venditio veneni incognitis personis facta.

69 Nec medicamenta fœtum propellentia ulli homini vendenda, nisi ex consensu Medici, aut re benè explorata qvâ in parte qvot committantur delicta, DEUS novit. Igitur qvi abortionis poculum aut poculum amatorium præbet, si homo periit, capitali supplicio afficiatur *l. 38. §. 5. ff. de pœnis.* Qvamvis autem Imperator Carol. V.

art.

art 33. constituerit distinctionem inter occisum partum animatum & inanimatum,& per animatum forte intelligat partum,cujus motus in utero nondum sentitur, qvod solet esse tempus conceptionis dimidiatum, putarem tamen hanc distinctionem SUMMO LEGISLATORI non placere, nec verbo Dei conformem esse, nam negari neqvit, fœtum à tempore conceptionis esse animatum, & hominem necare, qvi etiam partum immaturum necat. Et foret utilius nostro tempori, in qvo hoc scelus, ut & infanticidia sunt freqventissima, pœnas capitis indistinctè à Superioribus decerni. Rectè tamen notat *Carpz.q.11.* duo benè observanda, si ex poculo abortum passa mulier de vi medicamenti ex judicio Medici constare debere, & eandem pœnam fœminas mereri, sive compressione uteri vel aliis externis violentis mediis abortum procuraverint.

Species Homicidii est parricidium, qvod propriè in parentes 70
& liberos committitur etiam naturales, etiam nepotes, avum, &c. & horum pœna culeus,prout describitur hæc pœna fusius *l. un. C. de his qvi parentes vel liberos.* Apud nos est pœna culei tantum,vel gladii,si aqva talis ad id idonea non reperiatur. Sed si alia persona reperiatur,qvæ patris loco sit,ut Vitricus vel socer, vocatur qvidē hoc parricidium,sed pœna culei statim non habet locum,sed pœna gladii,qvæ tamen ob qvalitatem personæ occisi exasperari potest.

Species parricidii est infanticidium nimis freqvens scelus,cu- 71
jus etiam pœna est culei vel gladii 1. ubi penuria aqvæ, aut 2. ubi in sqvalore periit volente matre,aut 3.in latrinam dejectus,vid.*Carpz. q.11.n.28.& 34.* Varios occidendi modos refert,& variis ampliationibus illustrat *Carpz.qv.9.* De illo saltem dubito, annon stupratori pœna augenda & exasperanda sit,qvi stupravit mulierculam infanticidii ream,licet nō fuerit conscius sceleris. Qvod negat *Dn.Carpz. q.9.n.28.* Sed qvia 1. solet delictum ex eventu reddi excusatius vel gravius,& talis stuprator prima tragœdiæ causa, & de hoc eventu cogitare debuit,& in culpa omissionis versatur,qvod non impedierit,qvantum in ipso fuit, hinc gravius hoc stuprum puniendum semper putavi, nisi forte interrogaverit fæminam, an gravida esset, & monuerit,ne vim inferret infanti, se n. illum alendum daturum mulieri alicui &c.qvales casus sæpe habuimus in Facultate. De eo qvod *C.d.q.9.n.34.* habet,qvi fæminæ à se imprægnatæ svaserat ut in-

fantem

fantem occideret, & sepeliret, non dubito qvin justissimè sumptum fuerit supplicium, & omni casu, ubi pater & mater consenserunt.

72 De expositione infantum habetur in *artic. Carol. Constit. 132.* qvod si infans expositus perierit, qvod exponens vel capitali pœna gladii, vel pœna fustigationis debeat plecti, qvod ita explicat *Carpz. q. 10.* post multos alios, si in loco solitario, expositus infans, qvod tunc pœna capitalis locum habeat in exponente, si vero in loco, qvo ambulant homines & qvidem conciliandæ misericordiæ gratia, qvam ipsa mater non habet, qvod tunc fustigatione punienda. Secundum qvam etiam distinctionem pronunciatum scio, sed non puto esse perpetuam hanc distinctionem. Nam exponitur aliqvando infans in urbe, in Cœmiterio, vel in platea, in suburbio, attamen tempus est hybernum, frigore periit infans, anteqvam ipsi aliqvis opem ferret, vel depositus est ante civitatis portam, ante qvam porta aperiretur, à suibus vel lupis devoratus est infans misellus. Principalis qvidem finis fuit, ut misericordiam conciliaret, sed scire tamen debuit in istis casibus aut similibus, mortem facile secuturam ex circumstantia partim loci, partim temporis. Nescio an hoc casu non possit supplicium capitis exponenti matri dictari, licet intentio præcise ad necandum non fuerit directa *arg. l. 38. §. 5 ff. di pœnis.* De hac materia expositionis videatur etiam *Finckelthaus. obs. 86.*

73 Mariticidium & Uxoricidium sunt species parricidii, an autem ordinaria parricidii pœna sit plectendum, de eo qværitur, nam non omne parricidium culeo plectitur. Sed pœnam culei defendit *Carpzov. q. 12.* Sed in occidente sponsam & contra, pœnam gladii. Sed extra forum Elect. Saxon. & apud nos videtur ea sententia verior, qvod uxoricidii pœna sit gladii, nisi sit diu coctum, & deliberatum, tunc pœna rotæ dictata fuit à facultate nostra; ut exemplum recens notissimum testatur.

74 In fratricidio similiter pœna gladii jure communi obtinet *Farin. qv. 120. n. 11.* & alii, qvæ pœna tum, si circumstantiæ gravent, exasperari posset; qvid in foro Elect. Sax. vid. *Carpz. q. 13.*

75 Gravissima qvæstio, an non in parricidio conatus præsertim postqvam ad actum proximum venit, pœna capitali puniatur. Idqve per *l. 1. ff. Ad L. Pompejam.* Dd. communiter affirmant

qvos

qvos allegat *Carpz. q.17. num.1.* & communem esse sententiam testatur *Ant. Matth. ad l.48. tit.6. cap.1. n.7.* qvi in veneno parenti saltem præparato licet non præbito admittit. *ad l.48. part. tit.5. c.5. n.3.* Sed præferri posset pœna extraordinaria gravissima tamen, nisi per illum non steterit, ac circumstantiæ gravent.

Alias Exceptiones recenset *Carpzov. q.18.* si causa sit 1. justus 76
dolor, qvi liberat à pœna culei, non gladii, idem 2. in errore personæ si volens vulnerare alium, parentem suum vulneravit. Idem 3. in casu, ubi in ipso actu homicidii pœnitentia animum subiit, sed infans tamen mortuus. 4. idem in minorennitate matris, sed apud nos non vidi id observatum, qvia atrocitas & freqventia sceleris, & qvia multa occulta, & inulta procul dubio manent scelera, aliud svasit. 5. Idem dicit in melancholicis, qvod facile concedo in suis terminis. 6. In ebrio, de qvo qvid sentiam supra dixi, si ebriosus fuit, si scivit, qvid ageret, posse dictari pœnam culei dicerem, nisi princeps in gladii pœnam convertat 7. in jussu parentum, qvod intelligo de casu, ubi parentes ex justo dolore & ob dedecus familiæ id juberent, &c. alias à pœna ordinaria vix liberaret jussus iste. 8. in metu iræ parentum &c. sed plerumqve tales fœminæ asserunt, se ex metu parentum vel in magna consternatione & inopia consilii id perpetrasse.

Assasinatoris & Assasini pœna, qvorum ille conducit fa- 77
ctum homicidii, hic operam suam locat pro certo pretio, est procul dubio capitalis, pœna autem in specie in foro Civili nunqvam determinata, debet autem esse in Assasino gravior, qvam homicidii v. g. rota, de qvo *Carpzov. qv.19.*

Latrocinium est homicidium cum rapina vel animo rapinæ 78
conjunctum, sive id fiat in viis publicis, sive in civitate, in ædibus, in hospitio &c. & hujus pœna est certa scil. rota juxta *artic. 130. Carol. Constit.* qvalem pœnam etiam merentur Adjutores, Consulentes juxta tradita *Carpz. q.22. n.30. & seqq.* sicut nuper rusticum, qvi consilio habito cum servo, de spolio participavit, licet negaverit, se manum suam admovisse, una cum servo ad pœnam rotæ condemnavimus, & idem si spe sua frustratus latro nihil accepit, qvia est homidium lucri turpissimi causa factum. *Carpzov. d. l.* ubi plura ponit dubia. Sicut & de exasperanda pœna in latrocinio *qvæst. 23.*

79 Latrocinio ſimile fuit homicidium, qvod ante annum non procul à civitate hac fuit commiſſum, qvum miles, cum caſtiſſimæ puellæ, æternâ laude dignæ qvam deperibat, amore frui non poſſet, ex impatientia in via publica eam occidit, cui dictata fuit pœna rotæ.

80 Criminis fractæ pacis publicæ pœna eſt Bannum Imperii, Ordnunge des Landsfriedens zu Worms *Anno 1521. Rec. imp. de anno 1548. tit.* die *pœna* der Friedebrecher. *Ord. Cam. p. 2. tit. 9.* de qvo delicto plura apud *Gailium de Pace Publ. & Carpz. qvæſt. 35. & ſeqq.* qvam pœnam à Principibus Imperii dictari poſſe tradit *Carpzov. qv. 36.*

81 Proditoribus imminet pœna ſectionis in qvatuor Partes, ſi mas; ſi vero fœmina, culeus, vel ſuffocatio in aqvis, per *art. Conſt. crim. 124.* Si contra ſalutem Principis aut Civitatem, aut feudi dominum, Magiſtratum, conjugem proditoria ineantur conſilia, poteſt exaſperari pœna, ut trahæ impoſitus proditor forcipibus candentibus aduratur, qvod ſi ob circumſtantias minuenda pœna, prius caput amputari proditori, & poſtea in qvatuor partes ſcindi poteſt cadaver, *d. art. & ibi Remus.* Incendiariorum pœna, ſi dolo fecerint, eſt pœna vivicomburium, *art. 125. Conſtit. Carol.* Idqve ſupplicium *Carpz. q. 38. n. 32.* extendit etiam ad ædificia ad recondendos fructus exſtructa, ſcilicet horrea, namqve non obſervatur diſtinctio Juris Civilis inter incendia in urbe & ruri facta, ſed Carolina Conſtitutio generaliter intelligitur. Fuit tamen aliqvando incendiario, qvi torculari ignem ſubjecerat, gladius dictatus, & corpus poſtea concrematum. Habuimus etiam aliqvando exemplum puellæ vix adultæ, qvæ primo ſtabulum, poſtea molendinum, tandem ipſam habitationem molitoris incenderat, eaqve omnia diverſis temporibus, tandem ædes, in qvibus molitor pro tempore commorabatur, incendere tentabat. Verum comprehenſa gladio punita & cadaver concrematum.

82 Graſſatoribus & Raptoribus, qvi ſine homicidio homines ſpoliant, capitalis decernitur pœna in *art. 126.* & qvidem alibi rota plectuntur, alibi gladio, maximè ſi nobili familia orti ad ſceleſtum hoc vitæ genus ſe conferant. Alii verò communiter omnes gladio feriuntur, corpus autem truncum rotæ imponitur. Poteſt dubi-

dubitari de casu, qvo res minima ablata in via publica: Sed qvia Imperator generaliter loqvitur, & rapinâ rei minimæ concessâ, paulatim majora aggrederetur malitia hominum & ad securitatem viarum publicarum hoc pertinet, ideo *Carpzov. qvæst. 90. num. 43. & seqq.* post alios tradit, non attentâ qvantitate dictari supplicium, qvam sententiam receptam puto. Et *num. 53.* extendit pœnam, licet raptor dicat, res non fuisse jure possessas à possessore, cui rapina facta, & *num. 57.* & si res abrepta fuisset restituta vero domino: si tamen re integra facta fuisset restitutio sponte, posset mitigari pœna, saltem ut pœnæ mitigatio Principi committatur. Et non potest qvis se à Robbaria excusare, qvod ipse non rapuerit, sed tantum coëgerit per minas, ut traderet, ut *Carpzov. circa finem d. qvæst.* tradit, sicut in simili à violenti stupri pœna se non liberat qvi non invitam compressit, sed metu mortis consentientem violavit, ut rectè tradit in *q. 75. numer. 11. Carpzov.*

Seditiosis in *art. 127.* dictatur vel gladius, si seditio gravis, vel 84
etiam fustigatio, cum perpetua relegatione. Intelligo vero illum articulum, de seditione, qvæ non concitatur in Principem, aut ad evertendum Reip: statum; nam si hoc fiat, ad crimen perduellionis pertineret seditio. Et cum his comparari possunt ii, qvi animo alios offendendi à domo sua profugiunt, de qvibus in *artic. 128.*

Concussionis iniqvæ pœna gladius esse dicitur in *art. 129.* Et 85
licet pœnam arbitrariam & crimen privatum esse velint, qvando à privato committitur, *Menoch. l. 2. Arb. qvæst. casu 342. n. 11. Decianus l. 8. c. 35. n. 24. Farin. q. 111. art. 3. n. 54.* Post *Carolinam* tamen *Constitutionem* indistinctè publicum crimen dici potest.

In crimine furti qvod hodie publicum crimen habetur, pœ- 86
na dictatur in *artic. 157. & seqq.* Nam si infra 5. solidos circa violentam effractionem commissum sit furtum, in duplum condemnabitur juxta *art. 157.* aut condemnabitur ad carcerem. Si infra 5. solidos furatus sit & etiam in furto deprehensus, tum pro numellis expositus virgis cædi aut relegari potest, *art. 158.* Si furtum violentum, si fores arcamqve ruperit aut fregerit, aut scalis admotis cum telo fecerit furtum, laqveo punietur, *art. 159.* atqve

hæ sunt circumstantiæ, qvæ gravant furtum, qvarum sæpe in hac materia sit mentio. Si furtum sit 5. Ungaricorum aureorum, tunc poterit laqvei pœna dictari, si circumstantiæ id suadeant, *art. 160.* & hoc casu, qvando furtum est unicum, cautos esse oportet JCtos qvia non simpliciter Imp. irrogat pœnam laqvei, sed si violentum furtum vel valde damnosum parti, cui factum furtum. Verum in Facultate nostra non facile primo furto dictata pœna laqvei. Hæc enim exorbitans valdè & rigorosa pœna, qvod nemo negare potest sed tantum, si cum violentia sit factum magna vel res magni pretii ablatæ, qvas restituere non potest, & ex qvo magno damno affectus dominus furtum passus. Nam Imp. nihil certi decernit, sed judicio exercitatorum JCtorum hoc committit. Et si furtum à pluribus commissum, nemo pœna laqvei puniendus, nisi tam magnum fuerit furtum, ut facta inter eos divisione æqvali, cujuslibet portio, qvæ ex re furtiva ad eum pervenire potuit, valorem 5. flor. excedat *argt. l. fin. ff. Ad L. Corn. de Sicar. Berlich. p. 5. conclus. 43. num. 121. Carpzov. qvæst. 78. num. 37. & seq.* Si autem secundâ vice iteratum furtum, neqve ambo furta excedent solidos, pœna erit numellarum vel fustigatio, vel relegatio in perpetuum, *art. 161.* Si vero tertia vice sit iteratum, tunc vir laqveo, fœmina suffocatione in aqvis punienda, *art. 162.* In furto piscium distingvitur in *art. 169.* an ex vivariis aut piscinis stagnis, ubi jam in dominio fuerant, an vero ex flumine privato, ubi pisces naturali libertate fruuntur, ablati? nam illo casu furtum est, & ut furtum punitur, hoc casu arbitrariè. Cætera qvæ de furtis necessaria scitu sunt, ad Doctores fusius hac de re tractantes remitto, & puto hic non facile judicem clementiæ, & in homicidio non facile rigoris pœnitere debere.

87 Sacrilegii non videtur gravior esse pœna, qvam furti, cum satis ea rigorosa & vix argumentum admittat, vid. *art. 171. Const. crim. num. seq.*

88 Falsi pœna est fustigatio, vel operæ publicæ, amputatio manus, *2. feud. 55.* vel Relegatio, vel etiam mulcta, & sic pœna est arbitraria, de qvo crimine pluribus agit *Carpz. qvæst. 93. & alii.* falsi testis pœna est talio *art. 68. Const. Carol.* falsæ Monetæ flamma, rasæ pecuniæ arbitraria, *art. 111.*

Crimi-

Criminis Repetundarum, Peculatus, de Annona, de Residuis, pœnæ sunt pecuniariæ, vel extraordinariæ de qvibus alibi. Ambitus extra pœnam est, utinam non majora extra pœnam essent! Criminis stellionatus pœna est arbitraria. Non debebant fraudes contrahentium esse impunitæ, sed judex ex officio arbitrariè præsertim verò mulctando vindicabit fraudes inter homines maximè hodie nimis freqventatas, per *tot. tit. ff. & Cod. de Stellionatu*. Diffidationum pœna est capitalis *art. 129. Const. crimin.* Usurariæ pravitatis pœna mulctatio partis qvartæ sortis, &c.

De Ebrietate & Ebriositate qvid dicam; forte aliqvis dicet, 90
satius esse non tangere adultum ac prævalidum vitium, qvàm frustra tentatis remediis patefacere qvibus flagitiis impares sumus: Sed ignavorum hæ excusationes. Laudandi, qvi non desperant de hoc vitio saltem in ordinem redigendo, ne impunè & palam ita Baccho litetur. Vitia ut alia ita hoc erit tamdiu, qvamdiu homines erunt, sed debebant tamen non impune homines delinqvere, conf. *Ant. Matth. ad l. 47. tit. ult. c. 6. num. 5.* Non puto de ullo vitio retundendo desperari debere. Habemus Leges saluberrimas in Imperio nostro latas; habemus pœnas, sed nunqvam eæ indicuntur. Et tamen non ignoramus Vitium hoc esse Matrem fæcundissimam Libidinum, stuprorum, Adulteriorum, homicidiorum, ut ipsi testantur Recessus Imperii. Si Ebrietas impunita, cur non etiam scelera condonemus ex Ebrietate commissa? Nihil in singulis provinciis facilius qvam pœnas exigere etiam ab Ebriis, potissimum ebriosis. Memini me legere, Constantinopoli fuisse freqventata lavacra ac balnea utriqve sexui communia & promiscua. Ægerrimè id tulit Clerus, nec tamen potuit malo remedium invenire, non potuit gladius Spiritualis censuræ Ecclesiasticæ penetrare, ob tantam peccantium multitudinem. Sed cum Imperator sub capitis pœna ea lavacra promiscua prohiberet, nemo unqvam in populosissima civitate repertus, qvi vellet lavacris communibus cum diverso sexu uti. Unico Edicto pœnali pessima hæc consvetudo abolita. Qvid facilius qvam mandatis pœnalibus huic vitio obicem ponere, ne impunè alii alios ad bibendum invitarent, & Baccho litarent, tantum eo fine, ut non palam nec impunè hoc grassetur vitium? Superiori nihil impossibile. Scelera non

 destru-

deſtruunt civitates ac provincias, qvia ſcelera ſemper fuere, ſed eorum impunitas, hæc eſt cauſa everſarum civitatum atqve Imperiorum. Nemo impune peccet, ſcandala non ſint impunita, Nullius ſceleris ac delicti vindicta Deo committenda, niſi occultorum & qvæ in lucem proferri non poſſunt.

In ſumma, qvicqvid lædit pietatem & humanam ſocietatem, ſi palam fiat, & in hominum notitiam venit, non debet inultum relinqvere judex. Huc & ſcandala infantibus pueris præbita refero. Nihil puniendum Deo relinqvamus, qvantum fieri poteſt. DEO occulta relinqvamus, vel punienda, vel corrigenda ac remittenda. Sed ſurdis fabula videtur narrari. Si modo ſacer Ordo ſuum officium faceret, & ex juſſu Ordinationis politicæ dehortaretur populum à maledictis & mutuis provocationibus ad potum, idq; ſingulis dominicis diebus præſcripto Imperii ſaluberrimo.

CAPUT X.
DE
EXECUTIONE SENTENTIÆ CONDEMNATORIÆ.

SUMMARIA.

1. *Sententia condemnatoria cito executioni tradenda. n. 1.*
2. *Qvibus caſibus Executio aliqvandiu differenda. n. 2. & ſeqq.*
3. *Sententia capitalis triduo ante executionem denuncianda. n. 11. & ſeq.*
4. *Miniſtri Eccleſiæ adhibendi. n. 13.*
5. *An ſi damnatus clam Miniſtro Eccleſiæ dicat, ſe eſſe innocentem, an hoc judici denunciandum? A. n. 14.*
6. *Potus reo moderatè præbendus. n. 15.*
7. *Qvid ſi reus pœnitentiam agere nolit? R. n. 16.*
8. *Die apparente ſignum executionis dandum. n. 17.*
9. *Judex cum Adſeſſoribus conſideat, n. 18.*

10. Judex

SEntentia accepta & publicata, haud ea differenda diutius, sed 1
qvantum qvidem fieri potest, ocyus ad effectum perducatur, ne reus diuturnâ custodia maceretur, *l. 5. C. de Custod. reorum*, & dum ultio differtur, criminosis occasio præbeatur fugâ vel malignis artibus pœnas evitandi, *l. 18. C. de pœnis. Carpzov. qvæst. 137. n. 2. & seqq.* Qvi *num. 11. & seqq.* aliqvot casus recenset, ob qvos pœna aliqvandiu differenda.

Primò si ob occasionem vel inqvisitionem de graviori crimi- 2
ne, adversus reum instituendam, executio sit suspendenda, donec de illo qvoqve cognitum fuerit; cui similem puto hunc esse casum, si dum transmissa sunt acta, alterius qvoqve criminis, licet non gravioris, indicia emergant, v. g. Homicidii, ubi prioris sententiæ executio tamdiu differri solet, donec de altero crimine etiam constet, ne contra alium insontem fortè postea de eodem crimine inqviratur.

Secundò differri solet executio interdum ob metum tumul- 3
tus, qvamvis interdum (ubi desideratur magna Præsidis deteritas & Prudentia) ad frangendos animos tumultuantium maturiori supplicio opus sit.

Tertiò

4 *Tertiò* ſecundum *Dn. Carpzovium* differenda eſt executio pœnæ capitalis, qvando teſtibus eſt objectum crimen falſi: qvia ſi falſò teſtes depoſuerint, ſimul apparet de innocentia condemnati.

5 *Qvartò* differenda eſt executio, qvando condemnatus obligatus eſt reddere rationes ſuo Domino; tum enim in gratiam Domini differenda eſt pœna. Sed hoc caſu Dominum oportebit inſtare, ut id velocius fiat, qvò pœnæ ſuæ reddi posſit, *l. 1. C. de bonis proſcript. Clar. §. fin. qvæſt. 97. n. 1.*

6 *Qvintus* eſt caſus, ſi ſeverius ſtatuerit Princeps, qvam delicti natura reqvirit. Nam tunc per 30. dies executio ſuſpendenda, & aliud Reſcriptum Principis exſpectandum, *l. 20. C. de pœnis. Clarus d. qvæſt. 97. n. 3. Carpz. d. l. n. 18.*

7 *Sextus* eſt caſus, qvando inqvirendum eſt in ſocios criminis, & ſociorum copia mox haberi non posſit: ſæpè enim ideò ſervari ſolent poſt damnationem Rei, ut ex his in alios qvæſtio habeatur, *l. qvi ultimo 29. ff. de pœnis.* Qvod imprimis in crimine Adulterii, ubi ſocius in fuga eſt, obſervari teſtatur *Carpz. d. l. n. 20.* Sed ſi nulla ſpes recuperandi ſocii, non opus ulteriore dilatione, nam & indicia & confesſio adulteræ, & fuga adulteri, ſatis probant adulterium. Nam procul dubio gravia indicia præceſſerunt inqviſitionem qvo caſu confesſio adulteræ cum indiciis & tacita fugientis adulteri confesſione concurrit, licet diſſentiat *Carpz. q. 60.*

8 *Septimò* propter partum in utero exiſtentem differendum ſupplicium, vel alia pœna corporis afflictiva mulieris prægnantis, *l. 3. ff. de pœnis,* ne innocens partus cum nocente Matre extingvatur, *Carpz. d. q. 137. num. 21.* ubi *num. 22.* etiam poſt partum executionem pœnæ ſive capitalis ſive alterius corporis afflictivæ non niſi lapſis ſex ſeptimanis inſtituendum eſſe monet.

9 *Octavo* ægroti pœna corporis afflictiva (non verò capitalis) differenda eſt, ne ex cruciatu corporis mors acceleretur; *Carpzov. d. l. n. 31.*

10 *Nonò* putarem etiam ex aliis causſis differri poſſe pœnam, ſi Judici ita videatur, v. g. ſi emergat aliqvod fundamentum, ex qvo innocentia Rei colligi posſit, ſi Judex ex actis dubitet de Juſtitia latæ ſententiæ, & qvoties aliàs æqvitas aut juſtitiæ ratio dilationem executionis ſvadet. Sic etiam differendam executionem

pœnæ

pœnæ putarem, si pœna dictata non capitalis, Inqvisitus autem urbi vel Magistratui comminatus fuerit, citra tamen circumstantias alias factum aggravantes: tunc enim fustigatio vel relegatio tamdiu differenda, & condemnatus in carcere detinendus, donec sufficientem cautionem præstiterit, si tamen justus his minis subesset metus, qvi in virum fortem cadat, & ea sit persona, qvæ minas exeqvi soleat & possit, juxta *artic. 176. & ibi Remum ac Matth. Steph.*

Qvando verò executio pœnæ capitalis (non alterius pœnæ 11
corporis afflictivæ) facienda est, tum triduo ante executionem, executio damnato denuncianda, qvo se ad mortem per veram pœnitentiam & fidei salvificæ exercitia præparare possit. Idqve Imperator Carolus V. *artic. 79. princ. Ordinat. Criminalis* his verbis inculcat. Denn/so man auff Bitt des Anklägers (vel etiam ex officio in processu Inqvisitionis) mit endlicher peinlicher Rechtfertigung straffen wil/ sol das zuvor drey Tage angesaget werden/damit er zu rechter Zeit seine Sünde bedencken/ beklagen und beichten möge/ und so er des heiligen Sacraments zu empfahen begehret/ deß soll man ihm ohne Weigerung zu reichen schuldig seyn. Man soll auch nach solcher Beicht pfleglich solche Personen zu dem Verklagten in die Gefängnüß verordnen/ die ihn zu guten seligen Dingen vermahnen/ und ihm in dem Ausführen und sonsten nicht viel zu trincken geben/dadurch seine Vernunfft gemindert werde. Conferatur *Oldek. decade 2. q. 10.*

Qvibus verbis plura complectitur laudatissimus Imperator: 12
1. scilicet denunciandam esse executionem maturè damnato, idqve in Italia per virum religiosum fieri solet, qvi accommodatis verbis reo mortem denunciat, illumqve hortatur ad patientiam & pœnitentiam peccatorum suorum & sacramenta Ecclesiæ suscipienda, sicut de hac consvetudine testatur *Clarus §. fin. qvæst. 99. num. 1.*

2. Jubet, ut admittantur vel etiam advocentur viri religiosi & 13
Ecclesiæ ministri, qvi ipsum confitentem & dolentem de peccatis nomine Christi à peccatis absolvant, viaticum vitæ æternæ, Sacramentum scilicet venerandum Corporis & Sangvinis Christi dispensent, & meritum Christi universale, Dei Patris voluntatem universalem, & promissiones Evangelicas universales ipsi benè in-

culcent, ut ita se ad mortem præparet: Ubi monentur tamen Ecclesiæ ministri ab Imperatore Carolo V. ne damnatum adhortentur ad id, qvod semel confessus est, negandum vel revocandum *in artic. 103. Ordinat. Criminal.* his verbis: Die Beichtväter der Ubelthäter sollen sie nicht weisen/ was sie mit der Warheit auff sich selbst oder andere Personen bekandt haben/wieder zu leugnen/wann niemand geziemet den Ubelthätern ihre Boßheit/wider gemeinen Nutz/ und frommen Leuten zum Nachtheil/ mit Unwarheit bedecken/ und weiter Ubel stärcken zu helffen.

14 Sed hic incidenter qværo: *Qvid si damnatus fateretur sua delicta Ministro verbi, sed ratione hujus delicti, ob qvod damnatus sit, se innocentem esse, & confessum se qvidem, sed immanitate torturæ eò fuisse adactum, ideoq; malle se mori, qvàm adhuc semel eqvuleo subjici, totam caussam atq; ita innocentiam suam se Deo commissurum;* qværo, inqvam, *an non Minister verbi hoc detegere judici teneatur, & monere, ut Judex in innocentiam Rei inqvirat, an fortè ejus innocentia probari possit, & ut Judex adhuc semel ad Facultatem aliqvam acta transmittat?* Resp. Id qvidem non posse tantùm, sed debere Ministrum Verbi facere. Nam cum reus eô tempore non videatur salutis suæ immemor, & in confessione suâ conscientiam suam onerare velle, nisi aliæ præsumptiones contra ipsum militent, Judex ex officio de innocentia Rei qværere debet, per *l. si non defendatur 19. ff. de pœnis.* Non qvod statim fides adhibenda sit reo crimen neganti, sed ut acta revideantur, & accuratè omnes circumstantiæ perpendantur, an Rei innocentia demonstrari possit, nec non reus adhuc cum defensione sua audiatur.

15 *Tertium* est, qvod *in dicto articulo 79.* jubet Imperator, ut moderate cibus potusqve exhibeatur, ne ratio vino obruta à devotis cogitationibus & precibus avocetur.

16 Qværit autem *Carpzov. d. qvæst. 137. num. 46. Si reus ad mortem damnatus nolit pœnitere, nec peccata sua agnoscere, & ad gratiam Dei ac Christi meritum confugere, qvid tunc judici agendum?* Et qvidem rectissimè respondet, per aliqvod temporis spacium executionem hoc casu differendam, & omnibus modis laborandum esse, ut Reus ad veram ac seriam pœnitentiam adducatur. Sed si pertinax in impietate perseverat, adeò ut conversionis nulla spes appareat,

pareat, nihilominus de eo supplicium sumi posse, & ob blasphemiam & impœnitentiam posset exasperari supplicium.

Cùm autem jam dies executioni sententiæ destinatus illuxit, antequam reus mortis pœnâ puniatur, judicium criminale constituendum est, & reus coram judice sistendus, & denuò interrogandus, hoc Processu, qvem describit Imperator Carolus V. *in Ordin. Crimin art. 82. 84. 86. Primò* omnium die capitali signum executioni dandum est tubâ vel campana; *d. artic. 82.* ibi: An dem Gerichts-Tage/ so die gewöhnliche Tage-Zeit erscheinet/ mag man das peinliche Gerichte mit der gewönlichen Glocke beleuten. 17

Deinde judex cum Adsessoribus in Prætorio seu Curiâ, aut aulâ judicii vel area sub dio, prout consvetudo fert, maturè se sistere, & ex judicis mandatu ordine omnes considere debent, & judex pedum judiciale, vel gladium evaginatum, pro Regionis more, erectum dextrâ teneat, & tamdiu maneant, qvam diu ea, qvæ ad actum istum pertinent, ritè fuerint peracta. Idq; *d. art. 82.* his verbis: Und sollen sich Richter und Urtheiler an die Gerichtsstatt fügen/ da man das Gerichte nach guter Gewohnheit pflegt zu besitzen/ und soll der Richter die Urtheiler heissen nieder sitzen/ und er soll auch sitzen/ seinen Stab oder bloß Schwerdt/ nach ländlichem Herkommen eines ieden Orts/ in den Händen haben/ und ehrsamlich sitzen bleiben biß ans Ende. 18

Tertiò postqvam ita consederunt Judex & Scabini, Judex de Judicio recte constituto qværat, *juxta art. 84.* ibi: So mag der Richter ieden Schöppen besonder also fragen: N. Ich frage dich/ ob das endliche Gericht zu peinlicher Handlung wol besetzt sey? Wo denn dasselbe Gericht nicht unter sieben oder acht Schöppen besetzet ist/ soll ieder Schöppe also antworten: Herr Richter/ das peinliche endliche Gericht ist nach laut Käysers Carls deß Fünfften/ und deß heiligen Reichs Ordnunge wohl besetzt. Qvod tamen de numero septenario habetur, id plerisqve in locis non servari tradit *Carpzov. qvæst. 136. n. 12.* Sed ad minimum judex cum tribus Scabinis adesse debet, qvamvis melius faciant Magistratus, si ad ungvem ratione numeri Constitutioni pareant Carolinæ: nam licet sententiæ â Collegiis Jurisperitorum petantur, plures tamen adhiberi, qvàm tres Adsessores ipsa rei gravitas reqvirere videtur. Qvomodo aliàs 19

 Judi-

Judicium Criminale constituendum sit, wie die Bancke geheget werde / præsertim in foro Saxonico, videatur *Carpz. d. qv. 156. n. 16. & seq.* Cui modo constituendi similis ferè est modus, qvi hic Francofurti habetur.

20 *Qvartò* per ministrum Justiciæ reus adduci jubendum est, *art. 86.* ibi: Darnach soll der Richter befehlen / daß der Beklagte durch den Nach-Richter und Gerichts-Knecht wol verwahret für das Gericht gebracht werde. Qvo de proclamatione Rei, vom Zetter-Geschrey / habetur *in art. 87.* id in judiciis nostris passim in desvetudinem abiit.

21 *Qvintò* articuli, super qvibus fuit examinatus, brevissimis, & qvidem illi tantum, in qvibus cardo negotii consistit, reo proponendi, & reus denuò interrogandus, an hoc & illud, prout in Tortura & post eandem vel sine ea confessus fuit, denuò repetere & affirmare velit.

22 Sed *sæpè evenit, ut qvamvis reus anteà fuerit confessus, eandem tamen suam confeßionem revocet,* er widerrufft seine peinliche Aussage für gehegter Banck / *qvid tum judici faciendum?* R. Eâ de re extat sanctio Caroli V. *art. 91.* Würde der Beklagte auff den ordentlichen Rechts-Tag die Missethat leugnen / die er doch vormals ordentlicher beständiger Weise bekandt / der Richter auch auß solchem Bekäntnüß in Erfahrung allerhand Umstände so viel befunden hätte / daß solch Läugnen von dem Beklagten allein zu Verhinderung deß Rechten wird fürgenommen / wie hiebevor im 56. Articul und in etlichen hernach biß auff den 62. Articul / von beständiger Bekäntniß funden wird / so soll der Richter die zwey geordnete Schöppen / so mit ihm solche verlesene Uhr-Gicht und Bekäntniß gehöret haben / auff ihr Eyd fragen / ob sie die verlesene Uhr-Gicht gehöret haben; uñ so sie ja dazu sagen / soll der Richter in alle Wege bey den Rechts-Verständigen oder sonst Orthen und Enden / als hernachmahls angezeiget / Raths pflegen / und nach dem solche zwey Schöppen in diesem Fall nicht als Zeugen / sondern als Mit-Richter handeln / sollen sie derhalben als vom Gerichte oder Urtheil nicht außgeschlossen werden. In qvibus verbis Imperator nihil certi concludit, sed transmitti acta denuò jubet. *Dn. Carpzov. d. qvæst. 126. n. 65.* non obstante negatione ac confessionis revocatione reum condemnandum, ejusq;

ejusq; confeſſioni mediante torturâ factæ, & poſtea extra locum torturæ repetitæ ſtandum eſſe dicit; cum aliàs depoſitio duorum Scabinorum foret fruſtranea, qvamvis, Scabinis nutantibus confeſſio nulla eſſet. Sed adhuc ſcrupulus manet: *Si condemnatio omninò executioni mandanda vel reus denuò condemnandus, qvorſum Imperator transmiſſionem actorum inqviſitionalium hoc caſu injungat?* Exiſtimo propterea hoc factum, ut Jurisperiti adhuc examinent indicia, an ea fortè talia ſint, ut ex iis reus fortè convinci promerit; vel an remotiora qvodammodo fuerint, ut priori caſu qvidem condemnatoriam ſententiam repetere & confirmare: poſteriori verò caſu, ſi ſcrupulus inhæreat, vel ſi circumſtantiæ nonnullæ non conveniant cum aſſertione Rei, vel ſi aliàs dubitari poſſit de veritate confeſſionis Rei, torturam denuò dictare, vel pœnam mutare, vel alia ratione judicem informare poſſint, conf. *Oldek. dec. 2. q. 5.*

Qvando verò Reus confeſſionem ſuam repetit, tunc *ſextò* 23 ſententia condemnatoria per Actuarium Judicii reo claris verbis prælegenda, *juxta artic. 94. Conſtit. Crim.* h. v. Soll der Richter die endliche Urthel/ ſo alſo in Schrifften verfaſſet iſt/ durch den geſchwornen Gerichts-Schreiber in beyſeyn beyder Partheyen öffentlich verleſen laſſen/ ꝛc.

Septimò, reo ſupplicio per ſententiam addicto, judex bacu- 24 lum, qvem ex more geſtat, medium frangat, atq; damnatum Carnificis poteſtati juxta tenorem ſententiæ tractandum tradat, ſecundum *artic. 96.* h. v. Wenn der Beklagte endlich zu peinlicher Straffe verurtheilet wird/ſoll der Richter an den Orten da es Gewohnheit/ſeinen Stab zubrechen/und den Armen dem Nach-Richter befehlen/und bey ſeinem Eyd gebiethen/die gegebene Urthel getreulich zu vollziehen/damit vom Gericht aufſtehen und darob halten/damit der Nach-Richter die geſprochene Urthel mit guter Gewahrſam und Sicherheit vollziehen möge.

Octavò Judex prohibebit, ne qvis Juſtitiæ Miniſtro ſeu Car- 25 nifici vim inferat, juxta *artic. 97. Ordin. Crimin.* h.v. So der Richter nach der End-Urthel ſeinen Stab gebrochen hat/ deßgleichen auch/ſo der Nach-Richter den Armen auff die Richtſtatt bringet/ ſoll der Richter öffentlich außruffen/oder verkündigen laſſen/uñ von der Obrigkeit wegen bey Leib und Gut gebieten/dem Nach-Richter

keinerley Verhinderung zu thun/auch ob ihm mißlinge/ nicht Hand an zu legen.

26 Qvod si persona condemnata sit Ecclesiastica, ea prius degradanda est, non tantùm verbis, sed & ceremoniis certis, qvæ degradatio realis appellatur, juxta *Clarum §. fin. qvæst. 36. n. 35.* qvod etiam in locis nostris servari memini.

27 *Demum* peractâ executione judicem Carnifex interroget, rectè né & secundum sententiam executus fuerit pœnam &c. juxta *art. 98.* h.v. Wenn denn der Nach-Richter fraget/ ob er recht gerichtet habe/ so soll derselbige Richter ungefährlich auff diese Meynunge antworten: So du gerichtet hast/wie Urthel und Recht gegeben hat/so laß ich es dabey bleiben.

28 Sed hîc qværitur, cum nonnulli judices hanc sibi, sed malè, usurpent potestatem, ut pœnam semel reo dictatam, ipsi remittere, vel in pecuniariam pœnam convertere non dubitent, *an judex post sententiam à Collegio Jurisperitorum latam & publicatam pœnam in sententia expressam remittere, vel in pœnam pecuniariam commutare qveat?* Qvod unanimiter negant Dd. per *l. servos 8. §. ult. C. ad L. Juliam de vi publ.* ubi infamia Judici irrogatur. *& l. fin. in fine C. ne sanctum Baptisma iteretur*, ubi eadem pœna dicitur infligi deberi Judici, qvæ nocenti infligi debuisset. Nam facti quidem qvæstio in arbitrio est Judicantis, pœnæ verò persecutio non ejus voluntati mandatur, sed legis autoritati reservatur, *l. 1. §. [illegible] ad SCtum Turpill.* Et ita non licere judici pœnam adjudicatam remittere vel minuere, statuunt omnes, & post alios *Paris de Puteo in Tract. de Syndicatu, verbo Compositio cap 5. n 2. & seq. Farinac. qvæst. 5. num. 5.* ubi plures citat. Nam remittere pœnas facinoroso, est de Reservatis Principis, *l. 1. ff. de Constitut. Princ. Farinac. d. l.*

29 Sed alia huic vicina qvæstio est, an Magistratus inferior delicto nondum probato transigere cum inqvisito possit? Ego istam qvæstionem per aliqvas conclusiones tractabo. 1. Non facile judex transigere debet cum rëo, & huc faciunt rationes à *Farin.* allegatæ *num. 1. & 2.* 2. Nec Magistratus admittet eam, si reus dicat se transigere ad redimendam vexam. Hic color est, si transigatur cum accusatore privato, color hic judici & Magistratui non convenerit. Magistratus enim procul abesse debet à præsumptione

vexatio-

vexationis aut concussionis. 3. Magistratus inferior non debet nec potest transigere inqvisitione nondum instituta & nondum auditis probationibus. Nam Transactio eo saltem casu licita, qvando dubius litis eventus & non est satis convictus reus & metuendum, ne per torturam elidat reus indicia, nam tunc posset transigere. Sed illud non potest constare judici, anteqvam processus formatus sit. nam processu criminali formato, tunc sæpe plura se offerunt argumenta, Ergo salva conscientia, non potest Magistratus transigere de delicto, qvia debet inqvirere. Si enim hoc liceret, multa delicta v.g. homicidia, adulteria, manerent impunita. Non potest Magistratus salva veritate & conscientia dicere ante inqvisitionem institutam, crimen non posse probari, qvia pendente processu sæpe offerunt se alia atqve alia argumenta, qvibus convinci possit reus. Ergo judex debet processum inqvisitionis inchoare & eventum Deo commendare. Ad inqvirendum & puniendum, aut absolvendum, judices constituti sunt, non ad transigendum. Qvarta Conclusio est, qvando crimen plenè probatum est, tunc nunqvam transigendum, qvia hoc casu non dicitur esse res dubia, & in hoc omnes consentiunt. Vid. *Farin. c. 3. passim in d. q. 5.* nam judex mitius puniens & ordinariam pœnam remittens citra causam, infamia plectitur *l. 8. §. fin. C. d. vi publ. & pri.* Nec obstat famæ inqvisiti parcendum esse? R. id in verbalibus injuriis ex ira prolatis verum est, qvis non lingua sua peccat? Lubrico linguæ aliqvid condonandum. Sed in aliis sceleribus non est parcendum ei, qvi sibi non pepercit, fiat justitia. Qvinta Conclusio: Qvando versamur in terminis habilibus, ubi licitum est Magistratui transigere, non tamen id licebit, si non desuper consilium Sapientum reqvisiverit, iis in locis, ubi consilium Sapientum ex voluntate superioris reqvirere tenetur. Nam si in dictanda pœna consilium reqvirendum est, etiam idem necessarium erit in remittenda pœnâ ordinariâ: nam Prudentum & JCtorum judicium erit, cognoscere de delicto, an sit atrox, de argumentis, an sint sufficientia ad Condemnationem vel torturam, vel annon anteqvam transactio fiat, hoc vel illud tentandum sit, ut qvantum fieri potest, crimen in lucem protrahatur, aut innocentia rei detegatur & calumnia puniatur. Qvod si negligatur, Procuratoris Fisci erit, qværere de causis transactionis.

Sed

30 Sed limitat suam sententiam Farinacius duplici ex causſâ I. Nisi reus allegaret exceptionem nullitatis, eaqve nullitas ex actis appareret, tunc enim Judicem posse transigere cum parte nocente, *Farinac. d. qv. 5. n. 7.* Sed ob nullitatem non statim licitum est judici, mutare sententiam. Qvid enim, si adhuc semel inqvisitio specialis instituatur, & per testes denuò convinci possit reus, ideoqve hæc limitatio merito displicet.

31 *Secundò* limitat illud, nisi justa caussa esset pœnæ minuendæ, qvas proponit *Tiraqvellus in Tract. de temperandis pœnis.* Sed hoc casu Judex apud nos non debet mutare pœnam, nisi habito prius consilio cum Prudentioribus, ut *suprà* sæpius diximus. Cujus enim consilium reqviritur in pœna irroganda, ejus & consilium necessarium est in pœna remittenda vel minuenda. Et *Clarus §. fin. qv. 85. n. 10.* refert exemplum Caroli Regis, qvi jussit judicem qvendam in furcâ suspendi ex eo, quod qvendam reum, qvi erat condemnandus ad amputationem capitis, condemnaverat tantum ad amputationem manus.

32 Cadavera punitorum sepelienda, *c. qvæsitum. 30. C. 13. qvæst. 2. Clarus §. fin. qvæst. fin. num. 1.* Sed consvetudine receptum, ut suspensorum & rotâ punitorum cadavera in patibulo & rotâ insepulta relinqvantur, *Carpzov. d. qvæst. 137. num. 70.* ubi etiam testatur, nonnullorum, qvi gladio puniuntur, ob rapinam vel homicidium ex proposito commissum, cadavera solere in rota exponi. Sed hoc ultimum apud nos ferè est arbitrarium, & qvando fieri debeat, à Collegio in sententia exprimitur. Proditorum etiam corpora vel frusta potius diversis in locis affigi, Experientia docet.

33 Sed qvicqvid sit de consvetudine, admonendos tamen esse putarem & rogandos principes, ut abolitâ ista consvetudine, sepulturæ tradi jubeant corpora damnatorum. Id enim jussit DEUS gloriosissimus, *Deuter. XXI. vers. 23.* qvamvis enim hanc legem ad Legem forensem pertinere non negem, securius tamen faciunt Principes & consientiæ suæ consulunt, qvando suas Leges ad forenses sive Mosaicas leges accommodant. Certum enim est, in legibus forensibus DEUM voluntatem suam declarasse. Præsertim cum ratio moralis addatur, *ut non polluas terram tuam, qvam Jehova DEUS tuus tibi dat in possessionem?* Et sanè deforme hoc esse spectacu-

ctaculum nemo negat: nec ulla potest tanta esse immanitas sceleris, ob qvam Humanitatis oblivisci debeamus. Et sanè ipsa patibula ac rotæ erectæ satis homines dehortari possent à sceleribus. Rectissimè igitur ac laudabiliter Serenissimus Elector Brandenburgicus anno circiter 1646. omnia punitorum cadavera à furcis deponi jussit. Et optandum esset, ut Constitutio Electoralis generalis promulgaretur, ne in posterum Cadavera qvorumcunqve punitorum in furcâ aut rotâ pernoctent vel relinqvantur, sed sepulturæ tradantur.

Ad Anatomiam Medicis solent etiam concedi cadavera, qvod 34
non qvidem jure scripto, sed consvetudine niti testantur *Clarus d. qvæst. ult. n. 2. & Carpzov. d. qvæst. 137. num. 72.* ubi tamen monet, hoc Judicis arbitrio committendum esse, qvando punitorum cadavera ad dissectionem utilitatis publicæ gratia concedi debeant: cui hoc casu circumstantias familiæ, conditionis & dignitatis puniti, probè perpendere incumbit, & judicem tutius agere, si desuper Principem consulat.

CAPUT XI. ET ULTIMUM
DE
CONTRARIIS, QVÆ CONTRA INQVISITIONEM OPPONI POSSUNT.

SUMMARIA.

1. *Qvæ sit nullitas processus inqvisitorii? R. num. 1.*
2. *De inhabilitate testium. n. 2.*
3. *An præscriptio possit criminali processui objici? A. num. 3.*
4. *An vicennium currat à die scientiæ? N. num. 4.*
5. *An præscriptio à tempore delicti iterati currere incipiat? A. n. 5.*
6. *An reus, qvi non allegat præscriptionem, qvæ tamen ex actis apparet, sit condemnandus? N. n. 6.*
7. *Qvæ sint delicta, qvæ breviori tempore præscribuntur? R. n. 7.*

1 PRimum, qvod processui Inqvisitionis opponi potest, est Nullitas. Nam si principalia reqvisita Processus inqvisitorii non sint observata, Inqvisitio non tantùm nulla est, sed & processus, & omnia inde secuta pariter nulla sunt, *Farinac. lib. 1. qvæst.num.5.* ubi ex Grato omnes Dd. intrepide ita sentire, omnesqve consulentes id affirmare testatur. Et exceptio Nullitatis seu ineptitudinis Inqvisitionis reddit Judicium retrò nullum, & qvandocunqve, etiam post sententiam, potest opponi, *Farinac. d.l.* Et qvando Inqvisitio est nulla vel inepta, tunc non potest seqvi condemnatio; qvia omnia corruunt, & reus absolvendus est ab observatione Judicii, & de novo alius inchoandus processus, *arg. l. libellorum §. 1. ff. de Accusat. l. si maritus 15. §. fin. ff. de Adult. l. 1. ff. si mensor falsum modum dixerit. Gometz. tom. 3. resolut. cap. 11. num. 1.* Sed si accedat confessio ipsius inqvisiti, spontanea & constans & qvæ aliis indiciis adjuvetur, tunc hæc processum nullum validat & confirmat, secundum communem Dd. sententiam, *Clarus §. fin. qvæst. 55. num. 13. Farinac. lib. 1. qvæst. 11. n. 34.*

2 *Secundum* est, qvod processui Inqvisitionis potest opponi, qvod personæ testium sint inhabiles, & eorum dicta nullam mereantur fidem, de qvibus exceptionibus latè *Wesenb. in π. ff. de testibus. Clarus qvæst. 53. & Farinac. Tractat. de Testibus,* aliiqve. De qvibus

bus & nos *suprà* egimus, in qvantum Judici processum dirigenti necessarium existimavimus.

Tertium est, præscriptio viginti annorum, qvæ non tantùm poenam, sed & ipsum delictum, ac per conseqvens etiam processum criminalem tollit, per *l. qverela 12. C. de falsis. Clarus plures citans §. fin. qvæst. 51. in princ. & Carpzov. qvæst. 141. num. 6.* Et in specie etiam processum Inqvisitionis tollit, qvia cum succedat Inqvisitio loco Accusationis, meritò sublato jure accusandi, censetur etiam sublatum jus inqvirendi, ut ex sententiâ Doctorum communi concludit *Clarus d. q. 51. n. 2. Farin. q. 10. n. 3. & Carpz. d. q. 141. n. 19.* Excipiendum puto homicidium, cujus poena nulla præscriptione tolli posse videtur, qvia hæc jure Divino districte imperata. Terra purganda semper à sanguine innoxio, nec currit hæc præscriptio reo existente in fuga &c. *Farinac. d. q. 10.* Exceptio etiam ex dolo vel alio delicto est perpetua *l. 5. §. fin. ff. de Exc. doli l. 3. §. 5. ff. qvod qvisq; juris.* 3

Sed qværitur 1. *Qvid si delictum fuerit occultum, adeò ut Judex non potuerit inqvirere, an hoc vicennium à tempore commissi delicti, an verò à tempore scientiæ computandum?* ex eâ fortè ratione, qvod agere non valenti non currat Præscriptio; sed prius placet, qvia omnis præscriptio delictorum currit à die commissi delicti, *l. miles 11. §. 4. & arg. l. mariti. 29. §. sex mensium. 5. ff. de Adult. ibi: in vidua verò ex die commissi criminis. Clarus d. q. 51. num. 5. Farinac. d. q. 10. n. 12. Carpzov. d. q. 141. n. 24.* Qvamvis *Farin. d. q. 10. n. 13.* hoc limitet, nisi delictum adeò fuisset occultum, ut etiam per diligentissimam inqvisitionem erui non potuerit. 4

Sed *qvid si committat aliqvis delictum reiterabile, puta adulterium, stuprum, rapinam: anne à tempore primi delicti, an ultimi, præscriptio computanda?* Et ab ultimi delicti tempore computandum esse tempus, *arg. d. §. sex mensium* placet *Claro d. qvæst. 51. num. 3.* Qvâ ratione etiam putarem, si qvis incestas nuptias contraxerit, initium præscriptionis non à tempore nuptiarum computandum, sed à tempore ultimi concubitus. Nam tales conjuges, qvoties congrediuntur, toties etiam delictum seu incestum reiterant & repetunt. Absurdum enim esset dicere, qvod contrahendo nuptias tantum peccaverint. 5

6 Sed *annon confessus delictum & præscriptione hac se non defendens condemnari possit, licet præscriptio ex actis appareat?* Respondet Carpzovius rectissimè, talem non condemnandum, *d. qvæst. 141. n. 29.* qvia præscriptio ipso jure tollit obligationem: & ea, qvæ juris sunt, omninò Judex ex officio supplere potest.

7 Sed sunt qvædam delicta, qvæ breviori tempore præscribuntur, ut Adulterium, stuprum, *l. 11. §. 4. ff. d. Adult.* qvod qvinqvennio præscribitur. Incestum cum adulterio conjunctum excipit *l. 39. § 5. ff. de Adult.* qvem textum ita Dd. intelligunt, ac si Adulterium per incestum fieret perpetuum, & statuunt itaqve simplicem etiam incestum 20. demùm annis præscribi, *Thoming. decis. 39. num. 9. Berlich. part. 4. concl. 35. num. 48. & Carpzov. d. l. num. 50.* Sed aliorum sententia, qvod præscriptio qvinqvennalis pro incestu simplici sufficiat, textui conformior est, qvam seqvuntur *Farin. d. q. 10. n. 19. Clarus §. Adulterium in fine.* & ita à Facult. nostra mense Dec. anno 1653. pronunciatum scio. Et stuprum violentum excipit *d. l. mariti 29. §. fin.*

8 Qvædam verò delicta ne qvidem 20. annis præscribi possunt, ut Apostasia, *l. 4. C. de Apost.* Parricidium, *l. fin. ff. de L. Pomp.* Falsi, Partus suppositio. *l. 19. §. 1. ff. de falsis.*

9 *Qvartò* morte etiam extingvuntur crimina regulariter, *§. 1. Inst. de perpetuis & temp. action. l. 3. pen. & ult. C. si reus vel accusator fuerit mortuus. l. 1. pr. ff. de privat. delictis & simil.* Qvam regulam multis autoritatibus exornat *Farinac. lib. 1. qvæst. 10. num. 36. & seqq.* Nos hac vice, ut Judicem etiam instruamus, qvomodo mortuo reo procedere debeat, limitationes ejus, qvas pro veris habemus, brevibus proponemus, nostro addito interdum judicio.

10 1. Excipitur crimen hæresis, *l. 4. §. 4. C. de Manich. Farinac. d. l. num. 37.* Qvod apud nos locum non habet in iis, qvi Pacis religiosæ juribus fruuntur. Sicut igitur contra vivos eos, qvi Romano Pontifici subsunt, non potest inqvisitio fieri, ita multò minus contra mortuos.

11 2. Crimen Majestatis læsæ, *l. fin. C. ad L. Jul. Majestatis. l. ex Judiciorum 20. ff. de Accusat. Farinac. d. l. num. 42.* Qvod tamen intelligendum non de omni Crimine Majestatis, sed perduellionis contra Principem commissæ, *l. fin. ff. ad L. Jul. Majestatis.* Et vera

est

est limitatio, si mortuus evidentissimis argumentis convinci possit, secus si indiciis gravetur: nam hæc fortè diluere posset, si viveret per tradita *Carpz.q.41.n.107.*

3. Si de crimine publico actum sit contra reum, & is sit condemnatus ad pœnam, qvæ bona ejus concernat, v.g. ad ademptionem bonorum: tunc pœna hæc erit mortuo reo executioni danda, *d.l. ex judiciorum 20. in princ. ff. de Accus.* si modò non sit appellatum. Sed hæc limitatio rectè declaratur, ut tunc habeat locum, qvando pœna pecuniaria expresè fuit dictata reo, non qvando per conseqventiam venit, *ex l.3. C. si pendente Appellatione mors intervenerit Farinac. d.l.num.47.* Sed apud nos ademptio bonorum non venit per conseqventiam, nec tacitè, per *Auth. Bona damnatorum. C.de bonis proscript.* & magis per observantiam, nisi sit perduellionis crimen. 12

4. Qvamvis *Farinac. n.50.* limitationem novam constituat in privatis delictis, si de iis civiliter agatur, non criminaliter, & lis sit contestata, *d. §. 1. Inst. de perpet. & temp. act. l. un. C. ex delictis Defunctorum &c. l.58. de Obl. & Act. l. 164. de R. J.* Hæc tamen limitatio ad nostram regulam non pertinet, in qva de processu inqvisitionis criminali sermo est. Sit ergo nostra qvarta limitatio, qvando ad hæredem qvid pervenit, vel pervenisse præsumitur, civilis qvidem persecutio semper contra hæredem datur; Sed criminalis, de qva tantum hic loqvimur, non semper, sed in speciebus jure expressis, ut in crimine repetundarum, *l. 2. C. de crim. repet. & d. l. 20. ff. de Accus.* Idem in crimine Peculatus & de Residuis, per *l.fin. ad L.Juliam.pecul. &c.* 13

5. Limitatur ista regula, ut non habeat locum in iis delictis, qvæ committens ipso jure incurrit pœnam v.g. in crimine Incestus, *Novell. 12. cap. 1. Peregrin. de Jure Fisci lib. 4. tit.5.num.7. & 16. Farinac. d.l.num.68.* Licet enim sententia declaratoria reqviratur, hæc tamen etiam mortuo reo ferri potest, *Farinac.d.l. num.69.* Et *Peregr. d.l. num.12.* Idem in crimine Usurariæ pravitatis *cap. Tua nos 9. X. de Usuris.* 14

6. Nisi ipse hæres postulet, ut de crimine cognoscatur, hoc fine, ut per sententiam absolutoriam appareat de innocentia Inqvisiti, *Farinac.d.l.num. 74.* Plures qvidem Farinacius limitati- 15

ones habet, sed eæ sunt impertinentes. Benè tamen notandum I. qvando in superioribus limitationibus dicitur, mortuo reo etiam processum continuandum, id tantùm de pœna pecuniaria intelligendum. Nam ipsum corpus mortui regulariter puniendum non est, nisi defunctus fuerit confessus, aut convictus: nam tunc, si sibi ipsi manus intulisset, dubium non est, qvin cadaver Rei mortui suspendi vel concremari possit, pro criminis qvalitate; sed si naturali morte obierit confessus, non nisi in atrocissimis criminibus in cadavera exemplum statui solet, ut prolixè tradit *Dom. Carpz. qv. 131. num. 35. & seq.*

16 Obiter hic qværitur: *an Magistratus bona ejus qvi sibi ipsi vim intulit, occupare possit?* Qvod negatur *artic. 135. Ordin. Crimin.* nisi tale sit delictum, ob qvod qvis vitâ & bonis simul privandus fuisset, & reus metu pœnæ sibi mortem consciviſset.

17 II. Declarantur superiores limitationes, qvod eæ locum habeant, si mortuo reo evidentibus argumentis delictum probari possit, qvod tunc sententia contra mortuum ferri & executio in bona fieri possit. Secus si præsumtiones tantùm essent. Nam ex præsumtionibus ne vivus qvidem facilè condemnari potuisset, *l. fin. C. de probat.* multò minus mortuus.

18 III. Demum notandum, non posse Fiscum memoriam defuncti accusare vel contra mortuum agere, nisi intra qvinqvennium, *l. 2. C. de Apost.* Qvam legem communiter Doctores generaliter intelligunt, qvos citat *Farinac. qvæst. 10. n. 81.*

19 *Qvintum*, qvod processui Inqvisitionis opponitur, eumqve suspendit, est Appellatio. Qvæ qvidem ad Cameram Imperialem non est licita, neqve in processu Inqvisitionis, neqve ordinario, per *Recessum Augustanum de Anno 1530. §.* Item als ietzt etliche Zeit her / ꝛc. & *Ordin. Cam. part. 2. tit. 28.* Sed qvæstio est: *annon in Provinciis Statuum ab inferiori Judice ad superiorem, v. g. Electorem vel Ducem, possit in processu Inqvisitionis appellari?* hoc negat *Domn. Carpzov. qvæst. 139. num. 14. & seqq.* affirmat vero *Berlichius part. 2. decis. aurearum, decis. 231. & Dn. Oldekop. in pecul. tract.* Nostrum qvidem non est tantas componere lites, sed conciliare tamen istas opiniones licet: qvod *Domini Carpzovii* sententia de Electoratu Saxoniæ potissimum intelligenda & aliis etiam fortè Pro-

vinciis,

vinciis, ubi iſta conſvetudo allegata veſtigia ſua impreſſiſſe probari poteſt, vel loqvuntur nonnulli de Appellatione ad Cameram extra caſum nullitatis. Sed *Berlichii* ſententiam, qvando in dubio verſamur, præferendam eſſe, exiſtimarem. Nam certum eſt, jure communi licitam eſſe appellationem, per *l. 6 ff. de Appell. l. 29. & ſeq. C. eod.* Ideoqve meritò in dubio in jure communi ſubſiſtimus, & qvamvis deductio innocentiæ loco Appellationis conceſſa reo, periculoſum tamen eſt ſub eo Judice, à qvo ſemel qvis ſe læſum qveritur, ſuam innocentiam defendere. Et ſanè memini à Prædeceſſoribus Facultatis hujus ante aliqvot annos etiam in Proceſſu Inqviſitionis Appellationem conceſſam fuiſſe.

Ultimo demum loco ſuſpenditur etiam Proceſſus Inqviſitio- 20
nis, ſi reus judicem ſibi dicat eſſe ſuſpectum: qvod licet facere, ut in civilibus, per *l apertisſimi C. de Judic.* ita etiam in criminalibus, per *c. 5. X. de Excep. & ſim.* Proceſſus erit hic, ut reus cauſſas ſuſpicionis Judici proponat, & ſi in facto conſiſtant, eas probet: Qvo facto, ſuper cauſſis Recuſationis transmiſſis ad Collegium Juridicum actis cognoſcatur, an juſtè recuſari poſſit Judex. Niſi tamen evidentiſſima ſuſpecti Judicis argumenta ſint, non eſt facile Judex recuſandus, qvia malo homini omnis Judex ſuſpectus eſt, imo ſuſpectæ ipſi leges, cœlumqve ac terra, ſuſpectæ furcæ, rotæ, omnia, ſed adjungendus ipſi ab Inqviſito Notarius, de qvo ſupra, præſertim cum Judex non ferat ſententiam, ſed ab aliis reqvirat

TANTUM!

DEO FONTI OMNIS BONI
ET PATRI LUMINUM
SIT PRO OMNIBUS BENEFICIIS GLORIA PER DOMINUM NOSTRUM JESUM CHRISTUM IN VIRTUTE SPIRITUS SANCTI AMEN.

FOR

FORMULA ALIQVA ORDINATIONIS CRIMINALIS INQVISITORIÆ SINE PRÆJUDICIO.

BENEVOLE LECTOR.

Cum in nonnullis Provinciis, aliqvibus etiam civitatibus, non habeatur certa Constitutio de Inqvisitionis forma, ideoq; bona intentione volui subjicere formulam aliqvam procedendi in inqvirendo, ut Primo *si talis Constitutio alicubi publicanda sit, habeatur exemplar, qvod, si lubet, seqvi possint.* Deinde *volui præcepta & consilia superius ex jure & recta ratione probata; in compendium qvasi contrahere, ut totus ordo processus, qvasi uno intuitu pervideri possit.* Tertio, *Notariis etiam & Judicibus inferioribus inservire volui, ut qvid in aliqvo casu faciendum sit, citius inveniant. Leges ferre non est mei muneris nec propositi, sed qvid Divini ac humani juris sit, ac æqvitati conveniens, ac rectæ rationi, id verò docere mei muneris est. Æqvus Lector hæc omnia bene interpretabitur, Aliorum Theoninos dentes non curo.*

CAPUT I.

De
Qvalitate personarum inqvirentium.

PRincipio ad Processum Inqvisitorium ejusmodi adhibendi sunt Notarii, qvi in aulici alicujus Provincia judicii matricem sunt relati, inqve certam Ordinationem Criminalem jurarunt. Optimo itidem jure à Magistratibus urbanis tales judices & Scabini præ ceteris,

teris, in qvantum fieri poteſt, conſtituendi ſunt, qvi in Academiis viventes aliqvam Juris cognitionem reportarunt: cum hoc etiam in urbanorum judiciorum Actuariis, qvi Conſtitutionem hanc ſub pœnæ metu obſervare tenebuntur, neceſſarium ſit reqviſitum. Judicii verò Notario ad hoc idoneo non exiſtente, tàm in urbibus, qvàm pagis ſemper immatriculatus aſciſcendus eſt Notarius. Siqvidem Nobiles cum Notario, cauſæ gravitate urgente, alium Juris peritia conſpicuum Nobilem, qvi ipſis in arduo hoc negotio ſtudium & operam ſuam præſtet, rogare nulli obliviſcentur. Summatim: Ad graviſſimas haſce cauſas, qvæ hominis famam, vitam, ejusq; bona ſpectant, pro cujusvis loci commoditate, adhibendi ſunt Viri pietate, fide, doctrinâ & prudentiâ clariſſimi.

CAPUT II.

DE

Qvibus Criminibus Inqviſitio inſtituenda.

OMnes & ſinguli Magiſtratus non ſolum in delicta, qvæ publica audiuntur, inqvirere debent; ſed & in alia, qvæ ultima eaqve corruptiſſima hominum ætas animadverſione digna non judicat, inprimis, qvando blaſphemiæ & aliæ in divinam Majeſtatem injuriæ audiuntur, nullus Magiſtratus turpi negligentiâ hiſce indulgebit; ſed omni ſtudio horum inqviſitioni invigilabit, dignisqve juxta Imperialium Conſtitutionum tenorem, pœnis coërcebit.

Et qvoniam in Imperii Receſſibus, præprimis in Reformatione Politicâ de anno 1530. Tit: Von Warnung auff der Cantzel. Item de an. 1548. Tit. Von der Gotteslästerung: ſaluberrimè conſtitutum eſt, ut qvilibet Paſtor Eccleſiæ ſingulis diebus Dominicis auditores ſuos de blaſphemiis, maledictis & perjuriis admoneat, ſimulqve excitet, ut DEUM ardentibus precibus invocent, qvò deteſtanda hæc crimina ab Eccleſiâ ſuâ clementiſſimè avertat; æqvitati & pietati maximè conſentaneum eſſet, ut ab omnibus, qvi Jure Patronatus gaudent, hoc ipſum in viridi obſervantia conſervaretur, Eccleſiæqve Paſtores in ornandâ ſuâ ſpartâ ſaluberrimæ hujus Summi Magiſtratus Conſtitutionis eſſent memores.

Præ cæteris inqviſitio inſtituenda propter deplorandam & inve-

inveteratam Dierum Dominicarum & Feriarum sacrarum profanationem, propter perjuria & immodicam ebriositatem, autoritate Recessuum Imperii, cum exinde homicidia & adulteria, ceu rivuli ex fonte, deriventur, ad qvorum tandem vindictam, impunitatis spe vitio hoc plusqvam Barbaricarum constitutionum instar herbæ irriguæ succrescente, divina procedit ira, tarditatemq; supplicii gravitate, qvæ nostris itidem humeris jam imminere videtur, compensat. Nec negligenda Inqvisitio propter injurias, qvæ in Parentes, Magistratus, Concionatores & Præceptores evomuntur, item propter diversos & publicè affixos famosos libellos.

Propter contractus usurarios, nec non, utrum pignora data sint additâ Lege commissoria, ut scil. nisi intra certum tempus debitor pecuniam, qvam mutuam accepit, solveret, pignoris dominus fiat Creditor. Summa itidem adhibenda diligentia inqvisitionis, pariterqve pœna ex officio imponenda, si in Contractibus dolus & stellionatus crimen admittatur, vel simile qvid, qvod legibus interdictum, scandalumq; præbet.

CAPUT III.

Qvotuplex Inqvisitio & in specie de generali Inqvisitione.

INqvisitio est duplex; Generalis & Specialis. Generalis inqvisitio in illis casibus est necessaria, qvando fama oritur de crimine aliqvo commisso, corpus v. delicti, utrum ejusmodi crimen certo patratum sit, incertum, vel factum per se certum, sed autoris dubia adhuc est notitia. Famâ itaq; orta, Magistratus primùm corpus delicti investigare debet, præsertim qvando est delictum facti transeuntis, de qvo nulla certitudo, nisi conjecturarum beneficio haberi potest, e.gr. in adulterio, magiâ, vi publicâ & similibus. In his enim delictis certo ante omnia constare debet, utrum ejusmodi crimen commissum, & postea de autore qvæstio est instituenda. Deinde Magistratus aliqvas personas, qvæ probabile qvoddam delicti indicium suggerere possunt, citabit, & generalem instituet qvæstionem, annon hoc vel illud contigisse audiverint, & qvo, qvem fecisse credant, annon unum vel alterum nominare possint, qvi certissimam facti speciem narrare possit. Et si judex

testium contumaciam observet, juramentum ipsis deferet, qvod scilic. omnia, qvæ ipsis de causâ investiganda nota essent, velint referre; eademq; summo silentio extra judicium involvenda, nec ullâ ratione verbis vel gestibus, vel signis propalanda esse jubebit. His itaqve testibus alios testes designantibus, judex eosdem pari ratione audire, & postea ad Inqvisitionem specialem progredi debet. Dubio verò aliqvo emergente judices acta Inqvisitionis generalis ad Juridicam aliqvam Facultatem vel Scabinatum transmittere & informationem petere possunt, utrum ex generali Inqvisitione tantum appareat, ut specialis inqvisitio contra hanc vel illam personã institui possit, qvibusq; remediis vel arrestatinone vel præstitâ cautione persona sit detinenda; utrum in carcerem detrudenda, nec ne, vel sine ulteriore cautione in suis bonis relinqvenda. Si itidem in Inqvisitione generali una vel altera circumstantia observanda veniat, absqve mora illam exeqvi proficuum foret: e. gr. si aliqvis esset occisus, vulnus extemplo ab uno vel altero Medico & Chirurgo est inspiciendum, it: si qvis in conflictu aliqvo esset interfectus, arma cum vulnere conferri debent. Interdum etiam loci Inspectio est necessaria, e. gr. an locus, ubi gravida aliqva fœmina secretò peperisset, lapidibus vel asseribus sit stratus, it: qvis illo tempore adfuerit. Licet etiam nullum indicium, cujus beneficio ad specialem Inqvisitionem progrediatur Judex, ex generali elici possit, nihilominus Magistratus, famâ nondum sopitâ, sed magis magisq; increbescente, alterâ vice generalem Inqvisitionem instituere debet, aliasqve personas, etiam servos & ancillas ex servitio abeuntes juratò examinare. Ex. gr. Dantur forsitan ædes maculâ scortationis aliorumqve scelerum infames vel suspectæ; Magistratus utitur beneficio generalis Inqvisitionis, sed nulla vestigia & indicia probabilia apparent, postea negligit Inqvisitionem; cum tamen Magistratus eandem omni opera perseqvi, ancillasqve vel servos, præprimis migrantes, in genere juratò interrogare debeat, utrum ipsis non constet in domo suspecta scortationem & alia scelera exerceri, & qvæ sit illa domus, unde hujꝰ notitiã acqvisiverint, & qvos hujus rei testes allegare possint. Prosperrimo namq; successu non carebit, si diligentiam hîc adhibeat Magistratus, munerisqve sui partes secundum divinum & Summæ Potestatis Mandatum exeqvatur.

Sic qvando fama oritur de magiâ, vel ad mortem condemnata venefica aliam personam hujus delicti complicem allegat, non facilè fides huic est adhibenda, cum ejusmodi confessio ex diabolicis præstigiis proficisci possit; sed Magistratus non duos, sed plures testes super fama audire debet, & unde hæc fama sit orta, anne denunciata persona alicui fuerit minata, qvidq; insecutum. Qvæstiones qvoq; in Inqvisitione generali, qvantum fieri potest, generaliter sunt proponendæ, e.g utrum testes qvendam de magiâ esse suspectum, audiverint, & sic in aliis delictis, annon e.gr. Testis audiverit, qvendam blasphemias & maledicta protulisse, etiam Teste hoc negante, interrogari debet, utrum salvâ conscientiâ juratò obtinere velit & possit, se nullam planè hujus rei habere notitiam: it: annon testis audiverit, infanticidium in urbe esse patratum &c. Et hæc Inqvisitio generalis qvoq; est necessaria, qvando incarceratus & convictus delinqvens de crimine socii qvid confitetur, nec metuendum, denunciatum statim fugâ sibi salutem qvæsiturum. Prius enim secreto & sine omni mora generaliter contra socium criminis inqvisitio instituenda, & diligentissimè hoc casu investigandum est, utrum denunciatio sit talis, qvæ ex speciali interrogatione de denunciato à captivo prolata, an constantissimè captivus affirmet, & utrum nulla inter captivum & denunciatum intercedat inimicitia, it: an denunciatio firmis nitatur rationibus, non diabolicis præstigiis; deniq; an denunciatus sit talis, de qvo tale crimen præsumi possit. Hoc casu & concurrentibus his, neq; præsumptione obstantè non est necessarium, ut prius Consilium Collegii alicujus Juridici Magistratus reqvirat; sed statim progredi potest ad inqvisitionem specialem. Si etiam crimen aliqvod esset capitale concurrentibus gravissimis indiciis, aut delinqvens nihil habeat in bonis, ad capturam procedere licet Judici. Si verò dubia esset causa, insuper JCtos consulere debet. Nullus verò Magistratus ad nudam accusatoris vel denunciatoris voluntatem capturam statim adhibere debet, licet denunciator Judici indemnitatem promittat. Hæc enim cautio, si justum procedendi modum non observaverit, judicem neutiqvam excusabit.

CAPUT

CAPUT IV.

DE
Inqvisitione speciali, & qvomodo captivus examinandus.

QVando jam Judex ad inqvisitionem Specialem progredi vult & certò conclusit, qva ratione inqvisitus sit detinendus, an statim incarcerandus, vel primò citandus, an ad cautionem fidejussoriam admittendus, vel pro ratione criminis bona ejus sufficiant, tunc ante omnia ad inqvisiti examen progrediatur. semper inqvisitum per articulos interroget. Articuli verò per modum interrogatorium sunt proponendi; annon hoc vel illud fecerit? Illi autem articuli, qvi sunt notorii, e.gr. qvod mortuus infans in flumine sit repertus, assertivè ipsi proponantur; Wahr/ ꝛc. Nullatenus etiam articuli inqvisito ante examen sunt mittendi, sed ut statim ad eosdem respondeat, cogendus est. Multo minus ipsi facienda est potestas responsa sua per scripturam vel Procuratorem proponendi. Nullus qvoq; ipsi Advocatus ad actum illum, qvando ad articulos respondere vel litem contestari debet, est admittendus, qvia facti species omnesq; circumstantiæ inqvisito clariùs, qvam Advocato, qvi tantum jura subministrat, patescunt. Et qvoniam Inqvisiti interdum etiam indiciorum copiam ante actum respondendorum petere solent nulla juris ratione nitentes, non immeritò ante litis contestationem hoc ipsis denegatur. Accidit qvoqve nonnunqvam, ut inqvisiti neutiqvam respondere velint, qvo casu judex sub comminatione torturæ tribus vicibꝰ captivum admoneat, & postea per carnificem super hoc puncto torqvendus est & interrogandus; utrum respondere velit, nec ne? plura per carnificem ipsi extorqvenda non sunt, sed ad articulos deinde sine torturâ est examinandus. Ita verò Articuli sunt proponendi, ne in uno diversa facta & variæ circumstantiæ allegentur; sed singulis articulis, singulæ inseri debent circumstantiæ, aliàs enim simplex homo ad articulum duplicem simpliciter respondens damnum irreparabile incurreret. Propterea is, à qvo concipienda sententia, si in hoc puncto, in qvo cardo totius causæ vertitur, erratum fuerit, hoc ipsum attendere & emendare debet. Nec in articulis, in qvi-

bus circumstantiæ loci, temporis &c. exprimuntur, circumstantiæ Inqvisito sunt suggerendæ, e.gr. Judex non debet qværere, an hoc sit in foro factum, an nocturno tempore horâ 12. &c. sed hoc modo, ubi hoc sit factum, & qvo tempore: nisi Inqvisitus ipsum factum neget, hoc enim casu necessarium esset, unam vel alteram circumstantiam proponere.

Priusqvam verò Inqvisitus, præsertim si sit incarceratus, ad articulos respondeat, interrogari potest, qvæ sit causa suæ filiæ incarcerationis, & cogendus est, ut facti speciem narret. Qvia etiam in Criminalibus non solum ad illud est respiciendum, ut crimen manifestetur & puniatur, sed ne qvoqve innocens vices rei ex errore subire cogatur; Judex non minus tales articulos vel interogatoria proponere debet, qvibus probari possit ejus innocentia, imprimis si summa Inqvisiti concurrat simplicitas, omnemq; juris rationem ignoret; e. gr. annon occisus ullos capitales inimicos habuerit, præ cæteris hoc est necessarium, qvando judex observat, inqvisito aliqvam defensionem vel exceptionem exinde elici posse. Nullus verò judex tantum jus sibi tribuat, ut impunitatis spem inqvisito, si modo crimen confiteatur, facere velit: cum nulli, nisi summæ Potestati, hoc jus competat; nisi illa circumstantia adsit, ut salus civitatis vel pagi inde periclitetur. Hoc tamen casu, ubi spe impunitatis confessio elicitur, prius hoc ipsum deferatur ad summum Magistratum. Deducendi verò sunt articuli ex indiciis & juxta formam uniuscujusqve circumstantiæ concipiendi. Inprimis autem Inqvisiti nomen, Patria, parentes, ætas, vitæq; genus, sunt investiganda, & an unqvam criminis alicujus fuerit reus vel ea propter diffamatus &c. Responsio autem inqvisiti non debet esse jurata; sed perspicua, categorica & articulata, non æqvivoca. Si itidem Inqvisitus ad unum vel alterum articulum rubore vel pallore suffundatur, vel cum tremore aut aliis insolitis iisqve notabilibus gestibus respondeat, id ipsum una cum responsis est annotandum. Tandem Notarius, qvi responsa consignat, diligenter observabit, ut inqvisiti responsa, similiter testium attestata non aliis, qvàm inqvisiti vel testium verbis conscribat. Si etiam Inqvisitus aliqvid confiteatur, diligentissimè circumstantiæ investigandæ sunt; litisqve contestatione factâ articuli & singula ad

eosdem

eosdem data responsa ipsi alterâ vici sunt prælegenda, ut hac ratione unum vel alterum, qvod monendum incidat, addi possit.

CAPUT V.
DE
Inqvisiti Fugâ.

SÆpissimè qvoq; accidit, ut supectus de crimine aliqvo fugâ sibi consulat; & qvia hoc casu fugitivos literis patentibus, mit offenen Steckbrieffen/ persequi solemus, hoc remedium etiam in viridi manebit observantiâ. Si verò literis hisce asseqvendus non sit, per edictum, qvod in tribus urbibus est affigendum, citari debet; sub promissione salvi conductus.

CAPUT VI.
DE
Criminis Probatione.

QVando itaqve veremur, ne captivatus vel inqvisitus unum vel alterum articulum neget, videndum est, utrum talis articulus probari possit, nec ne: interdum qvoqve est necessarium, ut scrinia Inqvisiti obsignemus & postea compilentur, an exinde indicia desumi possint. Hoc inprimis est necessarium, magnamq; interdum attulit utilitatem, in crimine læsæ Majestatis vel perduellionis, vel Magiæ, in veneni propinatione, repetundarum actione, furti & falsi crimine, in famosis libellis & diffidationibus, monetarum adulterationibus, in crimine adulterii, qvod sæpissimè per literarum commercium probari potest & similibus. Qvod itaq; aliqvam suspicionem importat, suis circumstantiis est describendum, & ad ulteriorem investigationem actis insinuandum.

Deinde illud observandum venit, an commissum Crimen per testes possit probari: Etsi qvidem aliàs sine discrimine omnes testes non admittantur, hoc tamen casu, qvando judex ex officio vel ad instantiam partis læsæ inqvirit, nullus facilè reprobari solet, ita, ut & pueri atq; puellæ impuberes pubertati tamen propiores, qvando atrocissima sunt delicta, aliosq; testes reperiri non licet, admittantur; interim tamen ipsis juramentum non est deferendum

dum. Et qvamvis in causis civilibus testimonium filii vel filiæ contra patrem aut matrem, vel uxoris contra maritum, non admittendum, qvod in diffamationibus aliisqve levioribus causis, qvæ inter excepta & atrocia crimina neqveunt referri, non sine juris ratione observatur; In atrocibus tamen criminibus inqvirendis & puniendis ejusmodi respectus meritò exulat. Qvin etiam licet testis inqvisiti sit inimicus, vel læsæ partis domesticus, non tamen tales testes simpliciter sunt rejiciendi; sed ejus judicio, qvi sententiam concipit, est relinqvendum, qvalis & qvanta fides his ipsis sit adhibenda. Ante omnia itaq; citandi sunt testes, & si sub alterius Jurisdictione vivant, per subsidiales advocandi erunt. Nec Magistratus illius, qvi propter testium remissionem reqviritur, arbitrio relinqvendum est, utrum testes remittere velit, nec ne, sed in atrocissimis hisce delictis de testium remissione jure tenentur, nisi judex inqvirens ipse roget, ut testes à suo Magistratu examinentur, & propter loci distantiam, aliasqve causas ea fini articulos transmittat; qvo casu summâ industria examen est instituendum. Nec minus qvilibet Judex examini præsens adesse debet, adhibito idoneo ad hunc actum Notario, ut supra in genere dictum est, aliisqve Judicii adsessoribus vel peritioribus invitatis. Termino itaqve examinis imminente, præsentes testes in præsentis inqvisiti conspectum sunt producendi, eoqve præsente ad juramentum admittendi. Si etiam dubia esset causa, vel corpus delicti aliqvo modo incertum, cum Inqvisito articuli prius cummunicari possent, an ad rem pertinentia, ea tamen breviora & pauciora interrogatoria, ad qvæ testes etiam essent examinandi, proponere velit. Hoc verò neglecto, judex ipse ex officio testes interrogare debet, de nomine, ætate, genere, utrum testis inqvisiti sit inimicus, vel occisi vel inqvisiti cognatus, & de similibus.

Si itidem qvidem testes emaneant, per mandata pœnalia alterâ vice sunt citandi. Juramentum verò nemo recuset, exceptis gravidis fœminis, omnibusq; impuberibus. Pari ratione, si judex ex ignorantiâ, vel negligentiâ, vel ad testium petita eosdem, omisso de veritate dicenda juramento, examinet, irritum erit examen, testesq; ad singulos articulos prævio juramento sunt reproducendi.

di. Si etiam testis unum vel alterum articulum affirmet, semper de caussâ scientiæ, nullis ab inqvisito formulis interrogatoriis, est interrogandus; si verò testis sit de auditu, sub præstito juramento judex ipsum admoneat, ut, à qvo audiverit, alleget, qvo & ille possit produci. Siqvidem ejusmodi admonitiones toto examine durante fieri debent, imprimis, si in aliqvo articulo caussæ vertatur cardo: ubi testi proponendum est, in ejus depositione fundari totam caussam; ipso itaqve contumaciter articulum negante, facile colligi posse, qvod gravissimo peccato conscientiam suam sit oneraturus, è contrario, si reluctante conscientiæ dictamine contra inqvisitum aliqvid, qvod veritati repugnet, nec certò ipsi constet, proferat, sangvine inqvisiti animam suam sit maculaturus. Et si testis hisce propositis vultum vel gestus mutet, una cum depositione hoc ipsum est adnotandum. Semper qvoqve testis debet admoneri, ut clarè & distinctè respondeat; Notarius itidem & judicii Actuarius eadem verba, qvibus testis utitur, nullis omissis, consignare debent. Minime autem ea tantùm, qvæ contra Inqvisitum prolata fuerunt, Notarius conscribat, qvæqve excusationi ipsius inserviunt, non omittat; in hunc enim Notarium vel Actuarium severissimè animadvertendum: Ex hac itaqve ratione Inqvisito semper liberum erit, alium adjungere Notarium. Si verò Inqvisitus hoc facere nullus possit, judex omnem det operam, ut singula plenissimè consignentur. Judice etiam observante, non omnem veritatis rationem per testes posse investigari, novos testes ad eosdem vel alios articulos examinandi ipsi datur potestas, ut hac ratione, qvantum fieri potest, inqvisitus per testes sufficientissimè convincatur, nec necesse sit, torturam ipsi adjudicare, qvæ nunqvam admittenda est, si aliâ viâ veritas elucescat, licet hoc ipsum sine sumptibus effici neqveat.

Si testis unus vel alter obscure vel dubitanter respondeat, necesse est, ut Judex juramenti præstiti eundem admoneat, ne veritatem occultet vel obscuret, sub comminatione gravissimarum pœnarum. Teste itaqve uno depositionem suam finiente, omnes articuli, & ad eosdem data responsa ipsi sunt prælegenda, utrum in uno vel altero erraverit, vel aliqvid oblitus fuerit, vel qvædam addenda putet. Et postea ipsi sub præstito juramento silentium est imponendum.

Qvando jam omnes teſtes depoſuerunt, Notarius ſecundum ordinationem Cameræ Imperialis Rotulum formet, ut e. gr. uno interrogatorio vel articulo præmiſſo, omnium teſtium reſponſa immediatè ſubnectat, qvo ſententiam concipiens uno intuitu obſervare posſit, qvid probatum ſit nec ne, hâcqve ratione gravisſimum atteſtatorum excerpendorum laborem & moleſtiam evitet. Si igitur Notarius hoc ipſum non ſemper obſervaverit, pecuniariam pœnam Fiſco ſolvere debet, qvàm primum à Collegio Juridico Fiſcali hoc erit denunciatum. Si verò appareret, teſtes ſibi in unâ vel alterâ circumſtantia contradicere, confrontandi ſunt teſtes, an eo ipſo contrarietas teſtimoniorum tolli, & invicem conciliari posſint.

CAPUT VII.

De publicatione atteſtatorum, & inqviſiti cum teſtibus confrontatione.

FInito teſtium examine, Judex ante omnia atteſtata publicare & Inqviſito exhibere debet, eo fine, utrum unam vel alteram circumſtantiam, qvæ ſe aliter haberet, per eoſdem vel alios teſtes probare poſſet; hoc enim ad ipſius defenſionem, qvæ ipſi denegari neqvit, pertinet. Deinde citandus & audiendus eſt, utrum exceptionem aliqvam teſtibus vel eorum atteſtatis opponere poſſet. Si etiam literas neſciret, vel ex ſimplicitate nil qvicqvam indicare poſſet, Patronus ipſi ex Scabinatu eſt adjungendus, alias enim facile homo ſimplex damnum aliqvod incurreret, qvod in cauſſa dubia eſt neceſſarium. Si itaqve aliqvid opponat, ſuper eo audiendi ſunt teſtes. Deinde teſtes cum captivato ſunt confrontandi, & qvidem teſtis unus tantùm eſt producendus, qvo caſu teſtis atteſtata teſti proponi debent, ſimulq; judex ipſum interroget, an eadem vi præſtiti juramenti vera eſſe, approbet. Contra captivatus eſt interrogandus, an atteſtatis qvicqvam posſit opponere; inſuper geſtus inqviſiti & teſtium in illo actu diligenter ſunt annotandi, utrum erubeſcant vel contremiſcant & ſimilia: item, an in contradictione permanſerint, & inqviſitus teſti ſemper conſtantisſimè contradixerit. Tandem inqviſitus cum altero teſte eſt confrontandus, nec judicem laboris pœniteat, ſed omnibus viribus annitatur, ut veritatem elicere posſit.

Si captivatus qvoqve reqvirat, ut testis de una vel altera circumstantiâ interrogetur, hoc ipsi denegandum non est, sed liberum eidem erit, testes interrogare.

Testes etiam non impune ferent, si captivatum calumniis proscindant. Semper judex tam captivato, qvam testibus conscientiæ tremorem incutere, verborumqve pondere veritatis confessionem ejusqve enunciationem indagare debet. Inqvisito verò eo adducto, ut veritatem confiteatur, judex non acqviescat, donec omnes circumstantiæ ipsi elucescant.

CAPUT IIX.

De Inqvisiti Defensione.

NOn solum defensio & exceptio contra personas & dicta testium libera esse debet Inqvisito; sed etiam in hoc est interrogandus, utrum aliqvid testibus, qvorum attestata contra Inqvisitum firmissimis rationibus in diversis circumstantiis nitantur, ipsumqve gravent, opponere possit, cujus beneficio suam deducere qveat innocentiam. Simili ratione, si agnatus vel extraneus qvidam captivati caussam agere velit, neutiqvam est repellendus. Sed si nec ipse Inqvisitus, nec alii de defensione sint solliciti, ipsemet Judex acta perlegat, siqve observet, Inqvisitum allegasse e. gr. furorem vel testium capitalem inimicitiam, & similia, nec super hisce punctis testes esse productos, ex officio alterâ vice præstito juramento audiat. Judice autem hoc ipsum negligente, Collegium Juridicum, ad qvod Acta transmittuntur, in una vel altera circumstantia, unde Inqvisiti innocentia deduci possit, illud observare tenetur, & anteqvam torturæ adjudicetur, de ejusmodi exceptione examen testium, nisi jam sit factum, erit instituendum. Minime enim concedendum est, ut statim ad torturam, si alia veritatem indagandi adsint remedia, Judex progrediatur. Sic qvidem etiam in atrocissimis delictis Inqvisitus ad defensionem est admittendus, nec ullâ ratione hæc ipsi deneganda, licet jam crimen judicialiter sit confessus, forte enim errorem in confessione commissum Inqvisitus posset probare. Nec deneganda est Inqvisito defensio, licet eidem renunciaverit, nihilominus si eamdem deducere velit, est audiendus.

Hiſce verò terminis defenſio includatur, ut ipſi primò copia atteſtatorum, licet non rogaverit, exhibeatur, teſtiumqve nomina edantur, deinde terminus ipſi præſcribatur, qvod defenſionem ſuam deducere poſſit. Si qvoqve Advocatum à Judice petat, ipſi non denegetur, præſertim ſi unus Aſſeſſorum juris ſit peritus, ille ipſi adjungatur, tanqvam Patronus, inqve judicis erit arbitrio, qvem ipſi Advocatum, omni tamẽn affectuum dominio exulante, conſtituere velit. Inprimis tales adhibendi ſunt Advocati, qvi antehac juſtitiæ promovendæ ergò in Academiis vel Judiciis juramentum præſtiterunt.

Nec minus Inqviſitus ea, qvæ probaturus eſt, exprimere tenetur, ut illa, qvæ ullâ ratione pœnæ temperamentum importent, cæteris, hîc nihil facientibus, rejectis, attendantur. Producti qvoqve ab Inqviſito teſtes ſunt admittendi, licet ejus ſint domeſtici, vel aliqvâ ſuſpicione gravati, inqve ejus, qvi ſententiam concipit, arbitrio erit, qvantum unus vel alter teſtis probet, determinare. Si etiam Inqviſitus defenſionis ſuæ acta producere, ſuasqve exceptiones contra teſtes examinatores ad articulos inqviſitionales, qvoad perſonas vel dicta eorum, opponere vellet, audiendus eſt, hâc tamen limitatione, ut Magiſtratus, ſi inqviſitus teſtes propter unum vel alterum delictum, in facto conſiſtens, reprobet, hujus rei mentionem ſchedulâ aliqvâ appoſitâ, de qva tamen inqviſito conſtet, in Actis faciant.

CAPUT IX.

De Actorum Tranſmiſſione.

OMnibus itaqve & ſingulis hiſce obſervatis, Acta Inqviſito præſente vel alio ad hoc conſtituto, inrotulari & poſtea tranſmitti debent. Ante omnia autem ſummâ diligentia acta ſunt perlegenda, omiſſaq; ad meliorem conſulentis informationem inveſtiganda; poſtea ad Collegium non ſuſpectum, ſed fide digniſſimum ſunt tranſmittenda; hac tamen in literis expreſsâ conditione, niſi Inqviſitus jam Collegium ſuper totâ cauſsâ privatim conſuluerit. Actis igitur ad Facultatem tranſmiſſis, ea, qvæ nullâ immenſitate laborant, ab omnibus Aſſeſſoribus, qvæ verò graviora, à duobus Referente ſc. & Conreferente perlegi, & perlecta cum reliqvis

com-

communicari debent: qvod ipſum, utqve relationes adjunctis rationibus decidendi cum informatione remittantur, in literis peti poteſt. Anteqvam verò à Collegio reſpondeatur, prius deliberandum eſt, an crimen ſit probatum. (2) an inqviſiti defenſiones vel in totum, vel in tantum eundem excuſare poſſent. Crimine non probato, vel definitivè, innocentiâ ſcilicet inqviſiti evictâ; vel ab Inſtantiâ tantùm, eſt abſolvendus, ſi ex inopiâ probationum abſolvatur, hoc modo, qvod pluribus indiciis, teſtimoniis vel aliis probationibus emergentibus ad inqviſitionem reduci debeat Hoc tamen caſu illud maxime obſervandum venit, licet inqviſitus à criminis pœnâ abſolvatur, nihilominus ad expenſarum in Inqviſitionis Proceſſum collatarum reſtitutionem, ſi ſuſpectis & ſcandaloſis actionibus Inqviſitioni anſam dederit, & Magiſtratus Juriſdictionis conſervandæ gratiâ Inqviſitionem inſtituere, coactus fuerit, eundem eſſe condemnandum. Si verò talis ſit cauſſa, ut, pro ratione criminis, pœnam corporis afflictivam vel ultimum ſupplicium mereatur, firmiſſimiſqve inqviſitus præſumtionibus gravetur, vel ſemiplenè per teſtem omni exceptione majorem ipſius criminis convincatur, & nil qvicqvam ſolâ Inqviſiti confeſſione exceptâ deſideretur, certiſſima tunc Juris evincit ratio, hiſce caſibus, torturam eſſe dictandam, ſi modo juris communis vigor & delicti qvalitas torturam admittat. Primum verò illi, qvibus ſententia concipienda committitur, cauſſas adjudicatæ torturæ aſſignent, gradusqve torturæ denominent, utrum modica vel mediocris vel acrior tortura ſit inferenda. Si qvoqve inqviſito juramentum purgationis eſſet dictandum, prudentis erit Magiſtratus, cautè in hoc ipſo verſari: nimium enim inqviſito gravato, prælegi ipſi qvidem ſententia, ſpatiumqve deliberandi concedi debet, an ſalvâ ſc. conſcientiâ juramentũ præſtare poſſit. Si itaqve termino elapſo ſeverisſimisqve præviis admonitionibus conſtantisſimè aſſeveret, ſe poſſe & velle præſtare juramentum, illud ipſum eidem, ſi nimium eſſet ſuſpectus, remitti poſſet, licet alias jure optimo ipſi eſſet. Plenisſimè verò crimine probato pœna eidem ſecundum jus commune, præſertim Carolinam & cujuſcunqve Provinciæ conſtitutionem adjudicari debet. Nec juris æqvitati repugnat, ipſum ad reſtituendos Magiſtratui ſumtus interdum condemnari,

licet ultimum infligatur supplicium, qvia non solum propter commissum crimen, sed etiam propter criminis occultationem, ejusqve fugam expensæ interdum sunt factæ; hoc tamen discrimine observato, ut, si condemnatus sit dives opum, ex ejusdem bonis, indifferenter, sive liberos relinqvat, nec ne, sumtus refundantur; sin autem curta ipsi sit suppellex, liberiqve supersint, restitutio sumtuum ipsi remittatur. Nullis verò liberis relictis semper Magistratui ex ejus bonis Processûs sumtus restitui debent, qvod iniqvum nemini videri debet. Siqvidem & olim omnia condemnatorum bona in casu ἀπαιδίας Fisco cesserunt; non itaqve sine ratione Judici expensæ restituuntur, hoc præsertim tempore, qvo crescentibus delictis Magistratus sumtuum gravitate vexantur, & propter sumtus multa eaqve atrocia delicta impunita relinqvuntur.

CAPUT X.
De Qvæstionibus.

Remissa itaqve sententiâ, Judex eandem uno adhibito judicii Assessore resignet, ne, territione fortè adjudicatâ, sententiæ tenor plurimis, qvin & ipsi Inqvisito, innotescat. Deinde Judex consideret, an inqvisitus, qvalitate ejus cognitâ, sit torqvendus, utrum scil. inqvisita sit prægnans, vel à partu adhuc debilis, an partum lactet: vel an inqvisitus sit vulneratus vel debilis, vel gravius qvid metuendum. Hisce enim casibus qvæstio differenda, aut moderanda est: & hoc ipsum Jurisperito, si ex actis transmissis non appareat, speciatim indicari debet. Tandem sententia publicanda & inqvisito referenda est, territione verò adjudicatâ, hoc ipsum propalandum non est; cum & eam sententiam, in qva juramentum purgationis in specie adjudicatur, silentio involvere, judicem oporteat. Sententiâ igitur, in qva tortura adjudicatur, inqvisito relatâ non statim tormentis subjici, sed aliqvot dierum spatium deliberandi ergò, an Deo honorem tribuere, crimen confiteri, vel torqveri malit, ipsi concedi debet: verborum enim pondere ad criminis confessionem, si fieri potest, est adducendus.

Si verò adhuc aliqvid, qvo innocentiam suam probare vel torturam removere possit, indicare qveat, audiendus est. Nihil autem

firmi-

firmi vel certi ipſo proponente, & præfixo termino exiſtente, torturæ ſubjiciendus eſt, niſi ſe aliter explicare velit. Si verò cauſſa adhuc eſſet dubia, & inqviſitus Appellationis beneficio uti vellet, appellatione conceſſa, acta ad Superiorem eſſent transmittenda & cauſſæ merita ponderanda. Hiſce peractis Judex oppidanus uno vel altero ex Senatorum Collegio, vel Magiſtratus provincialis, qvi mero gaudet imperio, uno Juſtitiario, vel Notario adhibito, cum judicii Adſeſſoribus toti qvæſtionum actui adeſſe debet, ne in uno vel altero peccetur, ſimulqve caveat, ne juribus humanitatis neglectis crudelitas exerceatur. Siqvidem ſemper à Collegiis Juridicis termini territionis & torturæ ipſius præfigi debent, e. gr. an Reo carnifex cum Torturæ inſtrumentis, ita tamen, ut carnifex ipſum apprehendere non debeat, ſit præſentandus, vel apprehendendus à carnifice, ſpoliandus, ligandus & funi applicandus ſit. Magiſtratus verò verba ſententiæ, in qvâ tortura adjudicatur, diligentiſſimè obſervare debet. Mediocri enim torturâ dictatâ, non acrior eſt intentanda.

Alius verò eſt caſus, ſi verba ſententiæ hoc modo ſint concepta, qvod mediante tortura ſit interrogandus, qvo caſu mediocris tortura intelligi debet.

Et qvoniam abuſus in hiſce freqventiores apparent, e. g. dum plurimi torturam tamdiu pati tenentur, donec confiteantur, præſertim in cauſſis veneficii; vel qvod deteſtandum eſt, miſerrimum hominem tortura divexatum, altera die majori vi torqvent. Hi & alii abuſus ſeveriſſimè à Magiſtratu ſuperiore prohibendi ſunt, & tam Notario, qvàm Magiſtratui Juriſdictionem exercenti & terminos excedenti demto tempore relaxationis pœna dictanda eſt.

Tempus qvoqve torturæ imprimis obſervandum venit, nec ultra horam eadem continuari debet. Summatim, ſemper & ubiqvè in cauſa hac periculoſiſſima ſumma prudentia adhiberi debet, præſtat enim, in cauſſis dubiis decem ſontes abſolvi, qvàm unum innocentem torqveri, hocqve violento remedio ad confeſſionem cogi, & ad ultimum idqve immeritum ſupplicium condemnari.

In actu torturæ, ſi tortus confeſſionem promittat, relaxanda ſunt vincula, ſi vero in ſua contumacia perſeveret, altera vice vinculis debet conſtringi.

Si

Si itaqve crimen confiteatur, tortura remissa omnes circumstantiæ sunt investigandæ, e.gr.personæ, qvæ adfuerunt, tempus, locus,&c. Veritas itidem harum circumstantiarum indaganda est; sæpisſimè enim argumentum certisſimum inde deducitur,an confesſio veritate nitatur, vel an propter dolorum remisſionẽ facta sit.

Falsitate circumstantiarum ab Inqvisito vi torturæ allegatarum comperta, evidentisſimè apparet,inqvisitum hac ratione pœnam effugere velle; proinde falsitas ipsi proponi,simulqve interrogari debet, qva de caussa mentitus fuerit.Deinde Collegium Juridicum consulendum est, annon iterum torturæ sit subjiciendus, præsertim si nullas prægnantes rationes, cur falsas circumstantias confessus sit, posſit allegare. Utqve rem exemplis illustremus,casum proponimus,si qvis homicidium commiserit,de caussa impulsiva inqviri oportet,qvo die,qva hora,qvo loco factum sit, an & qvis ipsi auxilium præstiterit,qvorsum occisum projecerit, qvibus armis,qvot & qvibus vulneribus mortuum confoderit vel percusserit. Sic etiam in causa proditionis,in cujus gratiam illam molitus fuerit,qvid eâ de causâ acceperit,qvo loco, qvibus mediis, & qvo tempore, cujus instinctu crimen sit commissum.Item in causa veneficii, qvid ipsum ad illud commoverit, qvibus mediis usus fuerit,unde didicerit, an certa qvædam verba adhibuerit; & sic in omnibus aliis criminibus, juxta modum variis Nemesis Carolinæ articulis præscriptum. Pari ratione diligentisſimè consignari debent singula ad hæc vel illa interrogatoria ab inqvisito post torturam data responsa, Judex etiam & Notarius diligenter caveant, ne modum confesſionis inqvisito suggerant, Inqvisito igitur crimen illud, propter qvod carceri est mancipatus, confitente, finitâ qvoqve torturâ interrogari potest, annon alia crimina commiserit, si scilicet fama, ipsum alia qvoqve delicta patrasse, increbescat, alias non. Si etiam tale sit crimen, qvod sine aliorum ope committi neqvit, vel fama sit, alios qvoqve crimini commisso adfuisse, & inqvisitus in torturâ se criminis reum confessus sit, interrogari debet de complicibus & adjutoribus suis, nullâ tamen certâ personâ nominatâ. Qvæcunqve igitur inqvisitus in torturâ & post illam confessus fuerit, qvas circumstantias,qvosve complices allegaverit, ea summo studio Notarius conscribat, & si fieri

posſit,

possit, iisdem verbis, qvibus usus fuerit. Si verò Inqvisitus firmissimè crimen neget, non tam diu torqveri debet, donec crimen confiteatur, sed si torturam intensam per aliqvod tempus perpessus fuerit, liberandus & in carcerem deducend9 est. Sin autem confessus sit crimen, biduo elapso extra locum torturæ, & qvidem sine carnificis ejusq; instrumentorum præsentatione interrogari debet, à Judice, Scabinis & Notario, an in facta confessione perseverare velit, hunc in finem confessio ejus per torturam expressa, ipsi verbotenus ab Actuario vel Notario prælegi, & alterâ vice interrogari debet, an illa veritate nitatur? responsio verò ejusdem formaliter, prout locutus est, annotari debet, qvæ ratificatio etiam post territionem observanda est. Si statim finita torturâ, vel ratificatione exactâ confessioni reclamet, interrogari debet, qvare confessus sit; si respondeat, dolorum magnitudine factum esse, acta super hoc puncto ad Collegium transmitti, illudq; consuli potest, annon tortura sit repetenda, dum semel se criminis reum dixit, nec ullum defensionis suæ beneficium allegare potest. Imprimis verò tunc attendenda est gravitas delicti, & utrum indicia sint prægnantia, nec ne, an unum vel alterum indicium elisum sit in actis. Si verò inqvisitus crimen in torturâ constantissimè neget, novæ tamen oriantur suspiciones, aliaq; indicia, ab illis, qvæ per torturam purgata sunt, toto cœlo distantia, qvæq; per se aliis remotis ad torturam adjudicandum sufficiant, tortura, consilio alicujus Collegii Juridici adhibito, de novo institui potest.

CAPUT XI.

De Sententia concipienda.

Si igitur Acta ad Facultatem iterum sint transmittenda, poterunt ea in præsentia inqvisiti vel ejus cognatorum inrotulari, ad Collegium aliqvod Juridicum. pro impartienda sententia definitiva transmitti. Et qvæ supra de exceptione, nisi reus à collegio illo informationem impetraverit & de petitis rationibus decidendi cap 9. dicta sunt, hic repetenda. Sententia autem aut erit definitiva, aut interlocutoria, & hoc qvidem si adhuc aliqvid inqvirendum sit. Illa vel erit condemnatoria vel absolutoria. Condemnatoria, si videatur justa, ea exeqvenda. Si paulo asperior, vel justò lenior sit, & hoc potissimum in crimine homicidii, remitti poterunt Acta cum sententia ad superiorem, cujus decretum & qvidem vel con-

 firma-

firmatoriũ vel correctorium expectetur. Absolutus inqvisitus debet compelli ad juramentum de non vindicando carcere præstandum & cavere repromissione nuda (nisi forte aliud svaserint circumstantiæ) se in posterum semper se stiturum, & interim Acta bene conserventur. De Expensis autem supra dictum, qvod absolutus etiam restituere interdum expensas (illas sc. qvas Judex effectivè erogavit, nam Sportulæ pro labore nec Judici, nec Notario debentur) debeat, qvando vitæ improbitate, perversisq; moribus ac gestibus indecoris atq; factis suspectis causam inqvisitioni dedit, & Judicem ad inqvirendum commovit; cum virum bonum à suspicione criminis longissimè abesse oporteat. Si fustigatio dicetur, putant multi, consultius fore, si in ejus locũ cum consensu Superioris ea poena in operas publicas ad annos aliqvot convertatur, ita ut inqvisitus aliqvandiu laborare, & solo pane atq; aqva contentus esse debeat, qvæ pœna non ita ignominiosa & magis ad correctionem maleficorum directa. Si etiam inqvisitus fuga elapsus sit, debet Judex in præsentia duorum aut trium cognatorum inqvisiti per duos Scabinos & Judicii Notarium bona inqvisiti in Inventarium redigere, & prohibere, ne qvid ad fugitivum ad ipsius fugam instruendam pervenire possit, & ut ex iis bonis expensæ transmissionum sumantur. Si delicti pœna possit & soleat esse relegatio, citandus non tantum inqvisitus, sed potest etiam in contumaciam contra absentem procedi, non autem ad pœnam graviorem.

CAPUT XII.

De Executione Pœnæ.

QVando dictanda pœna inqvisito, ea ipsi, si capitalis, ante executionem denuncianda, ut, si innocentiam suam appellando deducere velit (modo non sit convictus & confessus) beneficio Appellationis vel alio simili uti, vel ad mortem se vera conversione ad Deum præparare possit. Non tamen licitum est Magistratui pœnam indictam in extraordinariam mutare, nisi cum consensu Superioris, aut cum approbatione Collegii Juridici ob certas causas in jure fundatas & noviter allegatas. Executio interdum differri solet ob fugam complicis, vel etiam aliam probabilem causam. In cœteris occurrentibus dubiis Judiciis seqvantur Constitutionem Imperatoris Caroli V. aliaq; scripta jura ac rationabiles, non verò ineptas & irrationabiles, Consvetudines.

INDEX
RERUM ET VERBORUM,
Qvæ in hoc Processu Inqvisitionis continentur.

Con-

Qvo-

An

An

Qvæ

suscipi-

L.Latro-

An

Qvi-

Tortura.

Qvæ

FINIS.

